

Br. 2, 65.

H. M. II 278.

2



ANDREÆ. MYLII. J. U. D.

& PROF. PUBL.

in Academia Lipsiensi

NUCLEUS.
INSTITUTIONUM.

Definitiones, Divisiones &
Titulorum Connexiones præ-
cipuas exhibens,

in gratiam

Cupidæ legum juventutis
editus.

L I P S I Æ.

Sumptibus GEORGII HENRICI FROMMANNI.

Literis Viduæ Wittigavianæ.

M. DC. LXXX.



VIRIS JUVENIBUS

Nobilissimis & Eruditissimis

DN. M. TOBIÆ MICHAELI

Kiesen / J. U. Candidato dignissimo,

DN. CHRISTOPHORO

HEINRICO VOGLERO,

Dresdensi,

DN. GOTHOFREDO CON-

RADO LEHMANNO, Leuco-

petræo,

DN. JOHANNI FRIDERICO

Slüggen / Megapolitano,

DN. CHRISTOPHORO

FRIDERICO VOGLERO,

Dresdensi,

Jurium Cultoribus

solertissimis,


S. P.

ANDREAS MYLIUS, J. U. D.

& P. P.

)(2

Quod


 Vod Politianus o-
 lim *lib. 6. Epist. ad*
 Franc. Puccium
 scripsit, id mihi
 quoque scriptum arbitror:
Ut Agricola exultat, sunt ejus
verba, ubi generosos fœtus ex
arbore ipsâ legit, quam suis
quondam manibus consecerat,
ac diu multâ curâ produxerat;
ita præceptores, si eorum, quos
literis & bonis moribus informa-
runt, ingenii fructus intuentur.
 Postquam enim curæ meæ
 atque culturæ planè singu-
 lari mentes vestras com-
 mitti placuit, ipse etiam
 non absimiliter video, nec
 arenis, nec faxis, nec aquis
 data

data fuisse semina. Ita scilicet doctrinæ, quam sincero semper ac indefesso vobis studio tradidi, fructus egregios uberrimosque intuens, undiqvaque lætandi mihiq; gratulandi causam adverto. Quod ipsum me commovit, ut cum NUCLEUS hic meus prodiret in publicum, Nomina Vestra pagellis ejus præfigerem. Pauca sunt, quæ offero, nec nova ac vobis inaudita: semper enim cortice remoto, enucleata Jurium meditullia inculcare annisus sum. Sed qualia qualia tamen sint, sint publica gau-

)(3 gau-

DEDICATIO.

gaudii mei, de Vestris Studi-
diorum Progressibus con-
cepti, argumenta: sint cer-
tissima affectus mei erga
Vos nunquam intermori-
turi pignora: sint denique
Doctrinae, quam ex me
haurire voluistis monu-
menta. His enim saepiuscule
lectis & Imperatoriae &
meae manuductionis me-
moriam renovare licebit.
Animis igitur, quibus mea
hucusque accepistis, i. e. be-
nevolis, has quoque pagel-
las accipite, & ulterius mi-
hi favete. Lips. d. 9. A-
pril. 1680.

Ad



AD LECTOREM.

ANte biennium, & quod
 effluxit, libellus titulo
 MANUDUCTIONIS
 AD UNIVERSUM JUS CI-
 VILE ET CANONICUM pro-
 diit. Huic tum temporis, ut
 NUCLEUS INSTITUTIO-
 NUM JUSTINEANEARUM,
 quem Auditoribus meis in illa-
 rum explicatione proposueram,
 infereretur, multi eorum cum
 Bibliopola flagitarunt summo-
 perè. In schedulam itaqve à
 me raptim & quasi aliud quid a-
 gente, projectus, me invito ferè
 luci publicæ datus est, quem ut
 domi suæ maneret, destinave-
 ram. Postea distractis prioris
 editi-

Ad

Scu-
 con-
 cer-
 erga
 ori-
 ique
 me
 onu-
 scule
 e &
 me-
 ebit.
 mea
 e.be-
 agel-
 s mi-
 . A-

AD LECTOREM.

editionis Exemplaribus, preces
aliorum reiteratæ effecerunt, ut
eundem denuò & sub hac forma
emitterem. Revisus itaqve &
notulis quibusdam adjectis au-
ctior factus est, quàm non despe-
rarem, etiam paucissimis istis me
cupidæ legum juventuti consu-
lere posse. Semper enim in
mentem venit, quod Plinius *lib. 2.
Epist. 5.* ad Luperum scribit:
*Quoties fastidium legentium deli-
ciasque respicio, intelligo nobis com-
mendationem ex ipsa etiam me-
diocritate libri petendam.*

Vale & fave.

IN



IN NOMINE DOMINI NO-
STRI JESU CHRISTI AD OMNIA
CONSILIA, OMNESQUE ACTUS
SEMPER PROGREDI-
MUR.

l. 2. C. de Offic. Praef. Pret. Africae.

PROOEMIUM.

INSTITUTIONES (a) dictae
sunt ab instituendo (b).

(a) *ii. Calend. Decembr. seu 21.
Nov. A.C. 533. editæ, in fin.
proem. Instit.*

(b) *Schneidevv. Rubr. inst. n. 8.*

Vocantur alio nomine INSTITUTA (c).

(c) *Const. Dedit nobis. de confirmat. Digest.
§. 11. Biccus in prolego rerum quo-
tid. aph. 8. lit. d. ubi Institutorum &
Institutionum differentias ostendit.*

Suntque nihil aliud, quam totius legiti-
mæ scientiæ prima elementa (d).

(d) *§. 4. Proem. Institut. Vel, Institutio-
nes sunt Instructiones elementariæ ad
altiore[m] & difficiliorem Juris doctrinam
Beckman, ad Rubr. Proem. lit. c.*

A

Divi

IN

Dividuntur in P R O O E M I U M & TRACTATUM (e).

(e) Ludvv. *Exercit. 1. th. 1. 2.*

P R O O E M I U M (f) continet INSCRIPTIONEM (g) & CONSTITUTIONEM.

(f) quod rectè tractatui præmittitur. *l. 1. in fin. ff. d. O. 7.*

(g) i.e. Titulum, qui est index rei subjæ. Idem & Rubrica dicitur *l. 2. S. 3. ff. de Interdictis.*

INSCRIPTIO exhibet:

1. Invocationem Nominis divini.
2. Autorem Operis.
3. Dedicationem.

CONSTITUTIO continet:

1. Officium Imperatoris in thesi. (h)
2. Officium Imperatoris in hypothesisi (i).
3. Institutorum Confirmationem.
4. Adhortationem ad Jurisprudentiæ studium.

(h) *pr. h. t. ubi in armis & legibus consistere dicitur. Quemadmodum enim duo sunt tempora Reipublicæ, unum pacis, alterum belli; ita duo quoque Imperatoris officia, unum in armis, alterum in legibus positum. Ludvv. d. l. th. 2. lit. a.*

(i) *Utram-*

(i) *Utramque viam summis vigiliis, sum-
mâque providentiâ Imperatorem perfe-
cisse, ostendit Africa, aliaque provin-
cia imperio Romano subiectæ, & leges
ab ipso promulgata & composita. §. 1.
h. t.*

TRACTATUS.

LIB. I.

TIT. I.

De

JUSTITIA ET JURE.

TRACTATUS tradendus est metho-
dô analyticâ seu resolutivâ (k).

(k) *Jurisprudentia enim, de quâ hîc agitur,
est disciplina practica. Hahn. ad We-
senb. de J. & J. n. 1. Verb. Tum com-
positivâ methodo.*

Incipiendum igitur à FINE & progre-
diendum ad MEDIA & OBJECTUM (l).

(l) *Ludvvell. d. Exercit. 1. th. 4.*

FINIS Jurisprudentiæ est (m) JU-
STITIA.

(m) *Finis Jurisprudentiæ vel est internus,
vel externus. Ille est Juris interpretatio.
Hic vel est ultimus, ut salus publica; vel
intermedius, ut Justitia. Eccolt. Com-
ment.*

*ment. ad ff. d. 7. §. 7. §. 3. ibiq̄e Dn,
Schvvendend. in not. Struv. Exercit. 1.
§h. 15.*

pr:

JUSTITIA est constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi (n).

(n) *pr. h. t. l. 10. ff. eod.* Aliter Philosophus: *Justitia est habitus, quo homines idonei sunt ad agendum ea, quæ justa sunt, eademq̄ etiam agunt & volunt.* lib. 5. *Ethic. c. 1.*

Dividitur in **UNIVERSALEM**, & **PARTICULAREM**.

JUSTITIA UNIVERSALIS (legalis) est Virtus, quæ omnibus legibus ad publicam societatis conservationem obedientia præstatur (o).

(o) In sese omnes virtutes complectitur. Imò ipsa Virtus dicitur ab Arist. lib. 5. *Ethic. 3.* puta, quoad *Essentiam & Subjectum*, alias differunt. Franz. *ad Pand. h. t. n. 20.*

JUSTITIA PARTICULARIS est Virtus, quæ de bonis externis suum cuique tribuit.

Estq̄ve vel **DISTRIBUTIVA**, vel **COMMUTATIVA**.

DISTRIBUTIVA est Virtus, quæ de rebus

rebus communibus, ipsius Civitatis membris, quæ talibus, suum tribuit secundum proportionem Geometricam (p).

(p) Arist. lib. 5. Ethic. 7. Huc pertinent Honores, Præmia.

COMMUTATIVA est Virtus, quæ de rebus singulorum suum cuique tribuit secundum proportionem Arithmeticam (q).

(q) Arist. d. lib. 5. Ethic. 5. Quo referuntur commutationes Voluntaria, ut Contractus, & Involuntaria, ut delicta. Et hæc diversitas Justitiæ oritur à diversa habitudine, quæ in republ. reperitur. Triplex enim est in Republicâ habitudo. Prima est partium ad totum; Secunda partis ad partem; Tertia totius ad partem. Franz. h. l. num. 12. & id Comm. ff. d. l. n. 16. seqq.

§. I.

JURISPRUDENTIA verò est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque injusti scientia (r).

(r) l. 10. §. fin. ff. h. t. Vel ut eleganter Celsus definit; *Jus* (pro disciplina Juris acceptum. Schnobel. *Disp. Pand. 1. th. 1. a.* alias acceptiones vid. apud Hahn. ad Wesenb. h. t.) est *Ars boni & æqui*. Per bo-

πρῶτον intelligunt τὸ συμφέρον, seu id, quod civitati imprimis utile & proficuum est; per *ἄδυν* autem τὸ καλὸν, seu id, quod per se honestum & naturali æquitati consentaneum est. Biccus *in præloq. rerum quotid. n. 27.*

§. 3.

JURIS seu **JURISPRUDENTIÆ** præcepta universalissima (s) sunt: Honestè vivere, alterum non lædere, suum (t) cuiq̄ve tribuere (u).

(s) Nam si ad singula negotia causasq̄ve, de quibus jus reddendum, referuntur, dici possunt, tot esse, quot leges. *l. 7. ff. de LL.*

(t) Suum cuiq̄ve tribuere accipitur *latius*, ut idem sit, quod honestè vivere, & ita reliqua duo præcepta Juris complectitur; *Arctius*, quatenus illis duobus opponitur. Rebhahn. *in Hodeg. Juris Chart. 11. Clim. 1. §. 10. in not.* adde Brunnem. *in Repet. Paratitl. Wesenb. de Just. c. 7. q. 7.*

(u) Præcepta Juris vel sunt *absoluta*, ut: honestè vivere; vel *respectiva*, quæ vel *in omittendo*, neminem lædere; vel *in committendo*, consistunt; suum cuiq̄ve tribuere, Franz. *h. l.*

§. FIN.

Hactenus de FINE. **MEDIUM** est
JUS

JUS (x) quod vel PUBLICUM, vel PRIVATUM.

(x) Pro præcepto superioris sumtum.

PUBLICUM JUS (y) est, quod ad statum rei Romanæ spectat (z).

(y) Cujus variam acceptionem vid. omninò apud Rebhahn, d. l. n. 11. in not.

(z) Intellige *principaliter & directò*. Nam per *consequentiam* publicè utilia etiam privatim utilia sunt. Ludvv. *Exercit. 1. th. 6. lit. d.*

PRIVATUM est, quod ad singulorum utilitatem pertinet.

UTRUMQUE collectum est ex naturalibus præceptis, Gentium aut Civilibus. Hinc aliud JUS est NATURALE, aliud GENTIUM, aut CIVILE.

TIT. II.

DE

JURE NATURALI, GENTIUM ET CIVILI.

Pr :

JUS NATURALE est, quod natura omnia animalia docuit (aa).

A 4

(aa) Ni-

est
US

(aa) Nimirum *improprie & analogice*. Eleganter Althusius in *Jurispr. Rom. cap. 1. in brutis*, inquit, licet sint quaedam inclinationes & affectiones *Justitia*, sicut & *virtutum aliarum simulacra*: aequum tamen & *Jus* eis inesse non dixerim. Itaque licet eos & leones fortes, serpentes prudentes, turtures castos appellare; at *justas seu injustas animantes prater hominem, nullas dicemus*. Vel, ut alii dicunt: *Jus naturale formaliter, i. e. quoad rationem, non nisi in hominem cadere*: materialiter autem, h. e. quoad appetitum & instinctum naturae, etiam in bruta. Vinn. in *Comment. Inst. h. n. 1.* Vel, *Jus naturale de brutis tantum respectu causa efficientis dicitur, non vero respectu causarum internarum*. Biccus d. l. aph. 33. lit. p. Alias *Jus naturale* sic describitur à Grotio: *Jus Naturale est dictatum recte rationis, indicans alicui actui ex ejus convenientia aut inconvenientia cum ipsa natura rationali inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, ac consequenter ab authore naturae DEO talem actum vel vetari, vel precipi.* de *J. B. & P. cap. 1. n. 10.*

Dividitur in PRIMARIUM & SECUN-

CUN-

SECUNDARIUM. PRIMARIUM est quod naturæ humanæ innotuit statim ab initio, & cum origine generis humani (bb).

(bb) Ziegl. *ad Grot. d. l. n. 10.* quò pertinet universalissimum principium practicum: Bona sunt facienda, mala fugienda. Hahn, *ad Wesehb. de J. & J. num. 15.* Verb. *Definitio legis naturæ.*

SECUNDARIUM est, quod natura docet homines per illationem consequentiæ certæ (cc).

(cc) Ziegl. *d. l.* quò referri debet erga Deum religio; ut parentibus & patriæ pareamus. *l. 2. ff. de J. & J.* ut vim atque injuriam propulsemus. *l. 3. ff. eod.*

§. 1. 2.

JUS GENTIUM est, quod ratio naturalis, usu & necessitate humanâ exigente, constituit (dd).

(dd) Unde bella orta, captivitates secutæ, servitutes, & omnes penè contractus, §. 2. *h. t.* manumissiones, dominiorum distinctiones, regna condita, discretæ gentes, agris termini positi. *l. 5. ff. d. t.*

§. 2.

JUS CIVILE est, quod quisque populus ipse sibi constituit (ee).

A 5

(ee) L

(*ce*) Ita quoad *statum popularem*. Aliàs *in genere* Jus civile est, quod Legislator ad Reipublicæ commodum constituit.

§. 3.

Estq̄ve vel SCRIPTUM vel NON-SCRIPTUM.

SCRIPTUM (*ff*) est, quod expressa sanctione constitutum.

(*ff*) *Scriptum* hîc significat, non quod literis exaratum, sed expressè sancitum. Vul-tej. *de feud. lib. 1. n. 4.*

Ejus sex dantur species:

- | | |
|--|--------------------------|
| 1. LEX. | 2. PLEBISCITUM. |
| 3. SCTUM. | 4. PRINCIPUM
PLACITA. |
| 5. MAGI-
STRATU-
UM EDI-
CTA. | 6. RESPONSA
PRUDENTUM |

§. 4.

LEX est, quam populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante, veluti Conule, constituebat.

PLEBISCITUM est, quod plebs plebejo Magistratu interrogante, veluti Tribunô, constituebat.

§. 5. SCTUM

SCTUM est, quod Senatus jubet atq̄ve constituit.

§. 6.

CONSTITUTIO est Jus à principe vel Imperatore constitutum.

Est vel DEFINITA, vel INDEFINITA.

DEFINITA est, quæ fit sub determinatione vel personarum, vel aliarum circumstantiarum.

Hinc RESCRIPTUM & DECRE-
TUM.

RESCRIPTUM est, quo Princeps de Jure consulentibus respondet (gg).

(gg) Species ejus sunt: Annotatio, Epistola, Pragmatica Sanctio. vid. Bicc. d. l. a. 40. Franz. ad ff. de Const. princ. n. 25. seqq.

DECRETUM est, quando ipse Princeps de causâ cognoscit, & partibus auditis pronunciat.

INDEFINITA est, quæ fit sine determinatione personarum vel circumstantiarum. Unde EDICTUM.

EDICTUM est, quando Princeps proptiô motû a iquid ad utilitatem subditorum constituit.

A 6

UTRA-

UTRAQVE (definita & indefinita) est vel GENERALIS vel SPECIALIS. ILLA omnes obligat; HÆC ob singularem æquvitatem ultra id, in quod lata est, non extenditur vocaturq̄ve PRIVILEGIUM.

§. 7.

MAGISTRATULUM EDICTA, sunt Jura à Prætoribus vel Ædilibus adjuvandi; vel supplendi, vel corrigendi Juris civilis gratiâ propter utilitatem publicam introducta (*hb*).

(*hb*) l. 7. §. 1. ff. de J. & J.

§. 8.

RESPONSA PRUDENTUM sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de Jure respondere.

§. 9.

JUS NON SCRIPTUM (aliàs Consuetudo) est Jus, tacitò populi consensu per usum seu mores introductum.

§. Fin.

Hætenus de FINE & MEDIO. OBJECTUM Jurisprudentiæ sunt ACTIONES CIVILES (*ii*).

(*ii*) Qua-

(ii) Quatenus videlicet mediante Jure ac Legibus ad Justitiam conformandæ sunt.
Ludvv. Exercit. 1. th. 6. lit. a.

ACTIONES CIVILES occupantur in
JURE PERSONARUM, RERUM & ACTIONUM.

TIT. III.

DE

JURE PERSONARUM.

Pr:

JUS PERSONARUM (kk) est Jus, quo
in certa conditione (ll) homo est constitutus.

(kk) *Persona* hic non qualitatem Civis, sed hominis designat. Vinn. pr. h. r. Tabor. part. Element. Sect. 1. §. 13.

(ll) Quæ triplex: Libertas, Civitas, & Familia §. 1. seqq. I. de capitis deminut.

Aliàs STATUS HOMINUM dicitur

(mm).

(mm) *Jus personarum & status hominum* differunt ut *Causa & Effectus*. Status rationem causa, *Jus Effectus* habet. Vinnius pr. in fin. h. r.

Explicatur per DIVISIONES. Quarum PRIMA (summa, principalis) (nn)

A 7

hæc

hæc est: Quod omnes homines aut LIBE-
RI sint aut SERVI.

(nn) Scilicet quoad *Statum* hominis ad-
ventitium. Nam quoad *Statum na-*
turalem, dividantur homines 1. in ma-
sculos & foeminas, 2. in natos & nasci-
turos, Struv. *Jurispr. Rom. Germ. lib.*
1. lit. h.

§. 1.

LIBERTAS (oo) est naturalis facultas
ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid
vi aut jure prohibetur.

(oo) Quæ contingit hominibus vel ex *nati-*
uitate, pr. *I. de ingen.* vel ex *homi-*
nis dispositione. t. t. I. de libert.

§. 2.

SERVITUS est Constitutio Juris Gen-
tium, quâ quis Dominio alieno contra na-
turam (pp) subjicitur.

(pp) i. e. contra communem hominum
conditionem, quam ab initio habuerunt
à naturâ. pr. *I. de libert.* Breviter: *Ser-*
vitus contra naturam incorruptam,
quæ potissimum respicit. Jus natura,
non est contra naturam malitiis & vi-
olentiis adulteratâ. Franz. *b. l. n. 4. in f.*

§. Fin.

In SERVORUM conditione nulla est
diffe-

differentia (99) in LIBERIS autem mul-
tæ : Aut enim sunt INGENUI aut LI-
BERTINI.

(99) Idque respectu *statûs & conditionis*
seruilis. Officia verò , quæ facti sunt,
l. 15. §. 1. ff. de U/ufr. variant.

TIT. IV.

DE

INGENUIS.

Pr:

INGENUUS est is, qui statim, ut natus
est, liber est.

Estque vel VERUS, qui natiuitate liber
est, vel QVASI, qui Jura ingenuitatis, vel-
uti Jus Aureorum Annulorum, Restituti-
onem Natalium, &c. ex beneficio principis
est consecutus.

TIT. V.

DE

LIBERTINIS.

Pr:

LIBERTINI (rr) sunt, qui ex justa ser-
uitute sunt manumissi.

(rr) Li-

(rr) *Libertini & Liberti* in usu Juris differunt. *Libertus & Patronus* sunt *relata*, *Libertinus & Ingenuus* *opposita*.

Est autem **MANUMISSIO** de manu-
datio.

§. I.

Contingit **EA** vel **MODIS CIVILIBUS** (solennibus), vel **NATURALIBUS** (minùs solennibus).

CIVILES sunt. 1. **MANUMISSIO** in **SS.** **Ecclesiis.** 2. **Vindicta.** 3. **Testamentum.**

NATURALES 1. **Manumissio** per **Epistolam**, 2. **inter amicos.**

§. Fin:

LIBERTINORUM verò status tripartitus antea habebatur. Alii enim erant **CIVES ROMANI**, alii **LATINI**, alii **DEDITITII**. Sed hodie omnes **manumissi** fiunt **Cives Romani**.

MANUMISSIONI adversantur duæ **Leges**,

LEX ÆLIA SENTIA.

LEX FUSIA CANINIA.

TIT.

TIT. VI.

QUI ET QUIBUS EX CAU-
SIS MANUMITTERE NON POS-
SUNT.

LEGIS ÆLIÆ SENTIÆ duo dantur
capita.

§. 1. 2. 3.

PRIMO CAPITE cautum est, ne in
fraudem Creditorum fiat Manumissio.

§. 4.

ALTERO, ne Domino minori 20. an-
nis aliter manumittere permittatur, quàm
si 1. vindictâ, 2. apud consilium. 3. ex justâ
causâ manumissionis approbatâ fuerint
manumissi.

TIT. VII.

DE

LEGE FUSIA CANINIA
TOLLENDÆ.

LEGE FUSIA CANINIA certus mo-
dus constitutus erat in servis testamen-
to manumittendis.

TIT. IIX.

TIT. IIX.

DE

HIS, QUI SUI VEL ALIENI
JURIS SUNT.

Pr:

SECUNDA PERSONARUM DIVI-
SIO hæc est, quòd quædam PERSO-
NÆ SUI JURIS sint, quædam ALIENO
JURI subjectæ.

PERSONÆ ALIENO JURI subjectæ
sunt vel in DOMINICA vel in PATRIA
POTESTATE.

§. 1.

POTESTAS DOMINICA est Jus Do-
mino in servos competens.

Consistit 1. in jure Personarum, (coër-
citione,) 2. in jure Rerum, (acquisitione.)

TIT. IX.

DE

PATRIA POTESTATE.

Pr :

POTESTAS PATRIA est Jus Patri in
liberos competens (ff).

(ff) Appellatione patris omnes ascendentes
l. 51. ff.

*l. 51. ff. de V. S. & appellatione libero-
rum omnes descendentes l. 220. ff. eod.
§. fin. l. q̄si test. tut. dari poss. accipi-
mus.*

Explicatur per **CONSENTANEA &
DISSENTANEA.**

CONSENTANEA consistunt in mo-
dis **CONSTITUENDI**, quales sunt : 1.
NUPTIÆ. (tt). 2. **LEGITIMATIO.** 3.
ADOPTIO.

*(tt) Justa scil. & legitima. l. 19. ff. de sta-
tu hominum. l. 5. ff. de in Jus vocan-
do. Nam ex conjunctione illegitimâ
nati, in patris potestate non sunt §. 12.
l. de Nuptiis.*

§. I.

NUPTIÆ autem seu Matrimonium
est Viri & Mulieris Conjunctio *(uu)* indi-
viduam vitæ consuetudinem continens
(xx).

*(uu) Animorum, non corporum. l. 30. ff. de
R. J. Quod procedit quoad perfectio-
nem primam, seu essentiam Nuptia-
rum : Quoad perfectionem secundam
verò, seu implementum Nuptiarum, con-
cubitus omninò requiritur. Struv. Ex-
ercitat. 29. th. 21.*

*(xx) Videlicet ratione intentionis contra-
hentium, non ratione eventus. Ex ac-
cidenti*

cidenti enim fieri potest, ut nuptiæ dis-
solvantur.

TIT. X.

DE

NUPTIIS.

Pr:

Justarum NUPTIARUM requisita sunt:
1. Ut contrahentes sint Cives Romani,
2. justæ ætatis, 3. Consensus contrahen-
tium, & eorum in quorum sunt potestate
accedat, 4. ne conjungi prohibeantur.

§. 1.

Prohibentur verò 1. ob CONSANG-
VINITATEM, 2. AFFINITATEM, 3.
HONESTATEM, 4. CIVILEM RATI-
ONEM.

CONSANGVINITAS est Vinculum
personarum ab eodem stipite descenden-
tium, carnali propagatione contractum
(yy).

(yy) Schulz. *Arb. Consang. & Adf. cap. 10*
n. 3.

§. 4.

ADFINITAS est diversarum cogna-
tionum.

tionum. per nuptias inter se facta copulatio (22).

(22) l. 4. § 3. ff. de Grad. & Adfinit.

Unde ADFINES propriè sunt Uxor, & cognati mariti, Maritus & cognati uxoris; non utriusqve cognati inter se (aaa).

(aaa) d. l. 4. § 3. ff. de Grad. Ludvv. Ex. II. th. 4. lit. b.

§. Fin.

LEGITIMATIO est Actus, quò liberi naturales consentientes legitimi efficiuntur.

Fitqve 1. Oblatione Curiaë. 2. Subsequenti matrimonio. 3. Rescripto principis (bbb).

(bbb) Idqve vel *immediate*, ab ipso principe, in Comitum, Baronum, Nobilium &c. liberis, vel *mediate*, per Comites Palatinos. Hahn. ad Wesenb. de his qvò sui vel alieni juris sunt. n. 11. Verb. per diploma principis.

TIT. XI.

DE

ADOPTIONIBUS.

Pr:

ADOPTIO est actus legitimus, per quem

quem, qui filius non est, pro filio habetur.

§. I.

Estque (ccc) vel VERA, vel QVASI ADOPTIO.

(ccc) Aliàs *Adoptio in genere* dividitur in *plenissimam & minus plenam*. *Plenissima* est vel *Arrogatio*, vel *Adoptio in specie*, facta à nō extraneo. *Minus plena* vel est *minima*, quā Dominus servum adoptat, vel *media*, quæ aut *fæminina*, §. 10. h. t. aut *masculina*, cum pater naturalis filium extraneo dat in adoptionem. §. 2. h. t. *Biccius rer. q. v. d. n. 22. lit. l. C. I. A. lib. 1. tit. 7. th. 1. & 2.*

VERA dividitur in ADOPTIONEM SPECIFICAM & ARROGATIONEM.

ARROGATIO est Adoptio hominis sui Juris principali Rescripto facta.

ADOPTIO SPECIFICA est Adoptio ejus, qui in potestate patris est, magistratûs imperio facta.

§. 2.

Estque rursus vel PLENA, quæ operatur patriam potestatem, vel MINUS PLENA, quæ patriam potestatem non tribuit, sed jus succedendi ab intestato, vel-

uti

uti si extraneus, aut foemina adoptet.

§. Fin.

QVASI ADOPTIO est, per quam Servus à Domino adoptatus, liber efficitur.

TIT. XII.

QVIBUS MODIS JUS PATRIÆ POTESTATIS SOLVITUR.

Tantum de CONSENTANEIS patriæ potestatis,

DISSIDENTANEÆ sunt modi eandem dissolvendi.

Dissolvitur variè 1. Morte naturali, 2. Civili, 3. Dignitate (*ddd*), 4. Captivitate (*eee*), 5. Emancipatione, & 6. Adoptione plenâ.

(*ddd*) Qualis olim erat summa patriciatûs; hodie verò omnis dignitas, quæ à Curiâ liberat, à patriâ potestate quoque liberare potest. *No 81. pr. cap. 1. §. 3.*

(*eee*) Quâ ob duplicem fictionem, alteram *juris postliminii*, alteram verò *Legis Corneliæ*, non tam tollitur, quàm potius suspenditur patriæ potestas. Est autem *fictio* falsi pro vero, æquitate svadente

habe-
VASI
tur in
enissi-
in spe-
na vel
ado-
na, §.
natu-
nem.
2. lit.
NEM
EM.
minis
ptio
atûs
era-
US
on
vel-
uti

dente Legis Assumptio. Dividitur in
positivam, quæ aliquid fingitur esse, quod
 non est. *pr. l. de Excus. tut. §. 4. l. de*
Act. Negativam, quæ id, quod est, non
 esse fingitur. *§. 5. l. eod. & Translati-*
vam, quæ aliquid ab uno transfertur ad
 aliud. Quæ *Translatio* fit vel à *per-*
sona in personam, in jure Repræsenta-
 tionis; vel *de re ad rem*, in traditione
 ficta; vel *de loco ad locum*, quando præ-
 sens pro absente, & vice versâ habetur;
 vel *de tempore ad tempus. §. 4. l. Q. M.*
l. P. P. S.

§. 6.

De EMANCIPATIONE notandum,
 quòd sit actus, quò voluntate parentum,
 liberi consentientes, coram competente
 Judice, de patriâ potestate dimittuntur.

Dividitur in LEGITIMAM (*fff*),
 quæ per trinas venditiones totidemque
 manumissiones filius de manu patris di-
 mittitur; ANATSIANAM, quæ
 fit imperiali rescripto (*ggg*), & JUSTI-
 NIANEAM, quæ fit coram Magistratu
 inferiore (*hbb*).

(*fff*) *b. § nr.*

(*ggg*) *ex l. pen. C. de Emancip. liber.*

(*hbb*) *ex l. fin. C. d. t.*

TIT.

TIT. XIII.
DE
TUTELIS.

Pr:

HActenus de PERSONIS ALIENO
JURI subjectis, sequuntur PERSON-
NÆ SUI JURIS, quæ vel in TUTELA,
vel in CURA sunt, vel NEUTRO JU-
RE tenentur.

§. 1.

TUTELA est vis ac potestas in capite
liberò, ad tuendum eum, qui per ætatem
se defendere nequit, jure civili data ac per-
missa (iii).

(iii) Tam *immediate* à lege, & vocatur *le-
gitima*, quam *mediate* à Magistratu, &
vocatur *dativa*, vel *permissa*, qualis est
testamentaria. Franz. h. l. n. 10.

Dividitur I. in TESTAMENTA-
RIAM, 2. LEGITIMAM & 3. DATIVAM.

§. 3.

I. TUTELA TESTAMENTARIA
est, quam parentes liberis suis impuberi-
bus testamento constituunt.

Est quæ vel ABSOLUTA, quæ per se
subsistit, vel CONFIRMATA, quæ pro-

B

pter

pter aliquem defectum Magistratûs confirmationem requirit (*kkk*).

(*kkk*) Struv. *Jurispr. Rom. Germ. lib. 1. tit. 16. aph. 1.*

TIT. XIV.

QUI TESTAMENTO TUTORES DARI, POSSUNT.

Omnes verò testamento tutores dari possunt, modò non prohibeantur.

TIT. XV.

DE

LEGITIMA AGNATORUM TUTELA.

II.

TUTELA LEGITIMA est tutela, quæ à Lege immediatè defertur.

Est quæ vel AGNATORUM & COGNATORUM, vel PATRONORUM, vel PARENTUM, vel FIDUCIARIA.

LEGITIMA AGNATORUM vel COGNATORUM TUTELA est, quæ ex Lege XII. Tabularum proximis AGNATIS vel COGNATIS est tributa.

§. I.

Sunt autem AGNATI, cognati per virilis

virilis sexûs cognationem conjuncti, quasi à patre cognati. **COGNATI** sunt, qui per foeminini sexûs personas cognatione junguntur.

§. Fin.

Durat hæc tutela tamdiu, donec **AGNATIO** per **CAPITIS DEMINUTIONEM** sublata.

TIT. XVI.

DE

CAPITIS DEMINUTIONE.

Pr.

ESt autem **CAPITIS (III) DEMINUTIONE** prioris statûs mutatio.

(III) Capitis Vocabulum statum & conditionem significat, quæ in *libertate, civitate & familia* consistit. *l. fin. ff. de Capit. Deminut.*

Eaqve vel **MAXIMA**, vel **MEDIA**, vel **MINIMA**.

§. I.

MAXIMA CAPITIS DEMINUTIO est, cum aliquis simul & Civitatem & libertatem amittit.

§. 2.

MINOR seu **MEDIA**, cum **Civitas**

B 2

vitas

vitas quidem amittitur, sed libertas retinetur.

§. 3.

MINIMA, cum Civitas retinetur & Libertas, sed status hominis (*mmm*) commutatur.

(*mmm*) Scil. *privatus*. Alioquin enim *publicus status*, quem quis, ut Civis, habet, salvus manet. Sic accipe *l. 1. §. 8. ff. ad SCtum Tertull.*

TIT. XVII.

DE

LEGITIMA PATRONORUM TUTELA.

LEGITIMA (*nnn*) PATRONORUM TUTELA est, quæ competit Patrono in libertos impuberes.

(*nnn*) Sic dicitur per *Interpretationem Extensivam*. Est autem *Interpretatio* nihil aliud, quam Juris scripti ad casus obvenientes dextrè facta accommodatio.

Dividitur in *Authenticam*, quæ fit à principe *l. fin. C. de Legib. Usualem*, quæ fit à consuetudine, *l. 37. ff. eod. & doctrinalem*, quæ fit à Jctis. *Doctrinalis* vel est *simplex*, vel *Extensiva*, vel *Restrictiva*. *Interpretatio simplex* est *Intelligentia proprii*

proprii & immediati sensus ipsius legis, sistendo tantum in usitata & propria significatione verborum.

Reg. Verba accipienda sunt prout iacent. l. 69. ff. de leg. 3.

Interpretatio Extensiva est progressio iusta de dispositivo expresso ad non expressum.

Reg. Ubi est eadem ratio, ibi idem Jus statui oportet. l. 32. ff. ad Leg. Aquil.

Interpretatio Restrictiva est, quae sententia ad verba Legis restringitur.

Reg. Quod contra rationem Juris receptum est, non debet produci ad consequentias. l. 14. ff. de Legibus.

TIT. XIIX.

DE

LEGITIMA PARENTUM TUTELA.

LEGITIMA PARENTUM TUTELA est, quae datur Patri in liberos, antea à seipso emancipatos.

TIT. XIX.

DE

FIDUCIARIA TUTELA.

FIDUCIARIA TUTELA est, quam pater

B 3

rens

rens in liberos, ab avo emancipatos, vel frater, aut patruus, in fratres aut fratris liberos, ante pubertatem emancipatos, habent.

TIT. XX.

DE

ATTILIANO TUTORE, ET
EO, QUI EX LEGE JULIA ET
TITIA DABATUR.

III.

TUTELA DATIVA est, quam Magistratus competens ad petitionem Matris aut propinquorum, vel ex officio constituit.

S. Fin.

Singulis jam TUTELÆ Speciebus expositis, Imperator TUTORIS OFFICIUM exhibet.

OFFICIUM autem TUTORIS consistit partim in ADMINISTRATIONE (000), partim in AUTORITATIS PRÆSTATIONE.

(000) Quæ tum res, tum personas pupilli concernit, l. 1. ff. de Administr. & peric. tut.

Ad

Ad ADMINISTRATIONEM pertinet, ut finitâ tutelâ rationes reddat.

TIT. XXI.

DE

AUTORITATE TUTO-

RUM.

Pr.

AUTORITATIS præstatio est approbatio ejus, quod cum pupillo geritur.

Eaq̄ve vel NECESSARIA, si conditio pupillorum deterior; vel NON NECESSARIA, si melior sit futura.

TIT. XXII.

QUIBUS MODIS TUTELA

FINITUR.

HÆc de MODIS TUTELAM CONSTITUENDI.

§. i. seqq. ad fin.

FINITUR autem variè 1. Pubertate, 2. Capitis deminutione pupilli, 3. Cōditionis eventu, 4. Morte vel pupilli vel tutorum, 5. Capitis deminutione tutoris (ppp), 6. Temporis lapsu, 7. Remotione, & 8. Excusatione.

B 4

(ppp)

(ppp) Scil. *maximâ & mediâ*. Nam per
per *minimam* solummodò legitima A-
gnatorum tutela perit, §. 4. h. 1.

TIT. XXIII.

DE

CURATORIBUS.

Pr.

H Actenus de TUTELA, sequitur
CURA.

CURA est potestas administrandi bo-
nae ejus, qui ipse rebus suis praesse nequit.

§. 3.

Dividitur in LEGITIMAM, qualis est
furiosorum, prodigorum, & DATIVAM,
quæ à Magistratu aliis personis constitui-
tur (qqq).

(qqq) Hodie omnis cura est Dativa d. §. 3.

Hucusqve de iis, quæ tam TUTELÆ,
quàm CURÆ fuêrunt PROPRIA, sequun-
tur utriusqve COMMUNIA.

COMMUNIA autem sunt 1. SATIS-
DATIO, 2. EXCUSATIO,
3. SUSPECTI POSTULA-
TIO.

TIT.

TIT. XXIV.

DESATISDATIONE TUTORUM
VEL CURATORUM.

Pr.

SATISDATIO est cautio (*rrr*), quâ pupillus vel adultus stipulatur à Tutore vel Curatore suo, rem pupilli salvam fore.

(*rrr*) Fidejussoria scil. quæ satisdationis appellatione venit. *l. 1. ff. Qui satisd. cog.*

SATISDARE tenentur omnes Tutores & Curatores, testamentariis & ex inquisitione datis exceptis.

TIT. XXV.

DE

EXCUSATIONIB. TUT. I.

CUR.

Pr.

EXCUSATIO est allegatio Immunitatis à tutelæ vel curæ onere.

Est quæ vel PROPRIA, quâ is, qui ipso Jure tutor existere potest, se excusat, vel IMPROPRIA, quâ is qui tutor dari non potest, suam inhabilitatem allegat.

EXCUSANTUR Tutores & Curatores variis ex causis, quales sunt : 1. Numerus

B 5

rus

rus liberorum, 2. Administratio rei fiscalis, 3. Absentia Reip. causa, 4. Potestas, 5. Lis cum pupillo super omnibus bonis, 6. Tria onera tutelæ, 7. Paupertas, 8. Adversa valetudo, 9. Imperitia literarum, 10. Datio propter inimicitias, 11. Inimicitia capitales tutoris, cum Patre pupilli, 12. Quæstio status mota, 13. Ætas 70. Annis major, 14. Minor Ætas, 15. Militia, 16. Professio Artium liberalium.

PROPRIA Curæ EXCUSATIO est partim Tutelæ gestæ, partim Maritus.

TIT. XXVI.

DE

SUSPECTIS TUTORIBUS
ET CURATORIBUS.

SUSPECTI POSTULATIO est accusatio, quâ Tutor aut Curator propter malæ administrationis suspicionem potest conveniri coram Magistratu Jurisdictionem habente, ut suspectus vel ab officio removeatur, vel arbitrio Judicis puniatur, vel infamia notetur.

LIB.

LIB. II.

TIT. I.

DE

RERUM DIVISIONE
ET ACQVIRENDO IPSA-
RUM DOMINIO.

Pr.

RActenus de PERSONIS, se-
quuntur RES (sss).

(sss) *Rei* vocabulum accipi-
tur vel *Philosophicè* sive
Sulgariter, & ita inter transcendentia
refertur, ut quod in omnibus prædica-
mentis efferri, & de nullo non subjecto
prædicari potest; vel *Juridicè* s. *artifi-*
cialiter, & ita in specie significat, quod
non est persona, nec actio. Tabor. *Part.*
Element. lib. II. tit. 1. Rebhahn. *Hodeg.*
Jur. Chart. III. clim. 1. §. 1.

RES vel IN SE & ABSOLUTE con-
siderantur, vel RELATIVE, respectu ac-
quisitionis (ttt).

(ttt) Franz. *h. l. n. 3.*

IN SE consideratae aliae sunt IN PA-
TRIMONIO (uuu), aliae EXTRA PA-
TRIMONIUM.

B 6

(uuuu)

(*uuu*) Patrimonium aliàs specialiter bona paterna l. 9. ff. Rem pupillis & am fore l. 38. ff. Fam. Excisc. hinc verò generaliter quicquid in bonis est, designat. Id. d. l. Ludvv. Exercit. IV. th. II. lit. a.

EXTRA PATRIMONIUM sunt: 1. RES COMMUNES, 2. PUBLICÆ, 3. UNIVERSITATIS, 4. NULLIUS.

§. 1.

I. RES COMMUNES sunt, quarum proprietas est nullius, sed Jure Gentium, quoad usum omnibus vacant.

§. 2.

II. RES PUBLICÆ, quarum proprietas est certi populi, usus autem communis omnibus.

§. 6.

III. RES UNIVERSITATIS, quarum proprietas est certæ Universitatis, & usus singulis ex illa universitate communis.

§. 7.

IV. RES NULLIUS (*xxx*), quæ nec occupatione in bonis occupantis esse possunt.

(*xxx*) Res nullius tales dicuntur vel simpliciter & absolute, ita ut nec actualiter

ter nec aptitudinaliter in bonis sint,
veluti res sacræ, religiosæ; vel secundum
quod & respectu, sc. quoad ac-
tum tantum, non verò quoad poten-
tiam, quo pertinent res pro derelicto
habitæ, thesaurus, hereditas jacens &c.

Suntque vel SACRÆ, vel RELIGI-
OSÆ, vel SANCTÆ.

§. 8.

SACRÆ RES sunt, quæ ritè per Pon-
tifices Deo consecratæ sunt (yyy).

(yyy) Ab his differunt *Bona Ecclesiastica*,
quæ non immediatè ac proximatè cultui di-
vino, sed ministrorum alimentis, aliisque
usibus inserviunt, ac in Patrimonio Ec-
clesiæ existunt, & in utilitatem ejus, alie-
nari possunt. l. 17. §. 1. C. de SS. Eccl. Nov.
120. c. 1.

§. 9.

RELIGIOSÆ sunt loca, humanis
cadaveribus demortuorum hominum de-
stinata.

§. 10.

SANCTÆ, quæ sanctione quadam ab
injuria hominum subnixæ ac defensæ
sunt.

§. II.

Tantum de ABSOLUTA RERUM

consideratione, sequitur RELATA, respectu ACQUISITIONIS.

ACQVIRITUR JUS RERUM, quod nihil aliud est, quam moralis facultas jure quæsitæ, circa res justè aliquid agendi, vel habendi (zzz).

(zzz) Molina de J. & J. Tr. 2. D. 2.

Est quæve vel JUS IN RE, vel JUS AD REM (aaaa).

(aaaa) Hahn, de Jure Rer. cap. 1. aph. 9.

De JURE AD REM infra. JUS IN RE EST, quod in ipsam rem devinctam competit, & actionem realem producit.

SPECIES EJUS sunt: DOMINIUM, PIGNUS, SERVITUS, HEREDITAS, POSSESSIO (bbbb).

(bbbb) Hahn. d. Tr. Cap. II. Dn. Schyvend. ad Eccolt. de R. D. §. 2. Verb. Species sunt quinque.

Excellentior & præcipua (cccc) ejus est DOMINIUM.

(cccc) Ita dicitur, quia cæteras Juris in Re species virtualiter comprehendit. Hahn. d. Tr. Cap. II. aph. 18. n. 2.

Est autem DOMINIUM (dddd) Jus
in

in ipsius rei corporalis substantiam comparatum.

(*dddd*) *Dominii* vocabulum vel *late*, pro quocunqve Jure in re ; vel *strictè*, pro certa Juris in re specie, cæteris contradistincta, ut hîc usurpatur. Id. *ad Wesenbec. n. III.*

Dividitur in PLENUM & MINUS PLENUM (*eeee*). PLENUM est proprietas cum usufructu conjuncta. MINUS PLENUM est vel DIRECTUM (superius) quod in proprietate, vel UTILE (inferius), quod in fructuum perceptione consistit.

(*eeee*) Aliàs etiam dividitur in *Civile* seu *Quiritarium*, & *Naturale* seu *Bonitarium*, l. un. C. de nudo Jure Quirit. toll. Item : in *Verum* vel *quasi* s. *fictum*. Althus. *Jprud. Rom. lib. I. Cap. V.*

Acquiritur verò vel JURE GENTIUM, vel JURE CIVILI (*ffff*).

(*ffff*) Distinctio hæc non tam rarione *causa efficientis*, quàm potius ratione *finis* & utilitatis est accipienda, uti optimè hæc deducit Biccus *in Sect. III. Rerum quotid. aph. 6.*

Et JURE GENTIUM vel SINE, vel CUM

CUM VOLUNTATE alterius
(gggg).

(gggg) Franz. *h. l. n. 9. & 10.*

SINE ALTERIUS VOLUNTATE
I. OCCUPATIONE, II. ACCES-
SIONE.

§. 12.

I. OCCUPATIO est apprehensio
rerum, quæ nullius sunt.

Fitque 1. VENATIONE, 2. CAPTI-
VITATE, 3. INVENTIONE.

1. VENATIO est ferarum bestiarum
occupatio.

Dividitur in VENATIONEM IN
SPECIE sic DICTAM, quæ est Anima-
lium agrestium, AUCUPIUM, quod est
Volatilium; & PISCATIONEM, quæ est
Aquatilium.

§. 17.

2. CAPTIVITAS est hostium, re-
rumque hostilium à victore facta appre-
hensio.

§. 18.

3. INVENTIO (*hhhh*) est rerum in-
animatarum fortuita apprehensio.

(*hhhh*) Inventio vel est Rerum, quæ nullius
adhuc

adhuc fuerunt, cujusmodi sunt lapilli & cætera, quæ in littore Maris inveniuntur; vel quæ esse desierunt, quales sunt res pro derelictò habitæ, §. pen. h. r. & Thesaurus §. 39. eod. Ludvv. ad h. §.

§. 19.

II. ACCESSIO est rerum diversorum dominorum conjunctio & consolidatio.

Dividitur in NATURALEM & INDUSTRIALEM.

NATURALIS est, quæ naturâ sine factu hominum contingit.

Est quæ vel EX RE NOSTRA vel ALIUNDE.

EX RE NOSTRA est FOETURA seu animantium genitura.

ALIUNDE rei nostræ accedit aliquid occasione Fluminis publici, quando Flumen cursum suum mutat vel PRO PARTE vel IN TOTUM.

PRO PARTE vel JUXTA RIPAS vel IN SUI MEDIO.

JUXTA RIPAS, dum illis portionem quandam adjicit terræ, eaque augmentum addit vel PAULATIM & LATENTER,
vel

vel CONFESTIM & APPAREN-
TER.

§. 20.

LATENTER per ALLIVIONEM
(iiii) quæ est exaggeratio terræ per appul-
sum fluminis facta, ut non possit intelligi
quantum quoquo temporis momento ad-
jiciatur.

(iiii) Aliàs per *Metonymiam causa* Incre-
mentum latens dicitur. Rebhahn. *Ho-
deg. Jur. Chart. III. Clim. 1. aph. 34.*

§. 21.

CONFESTIM & APPARENTER per
AVULSIONEM.

IN SUI MEDIO flumen cursum suum
mutat, cum nascitur INSULA.

§. 22.

Est autem INSULA terra non cohæ-
rens, sed aquis circumflua.

Estqve vel MARITIMA vel FLUMI-
NALIS.

§. 23.

Sic flumen mutatur PRO PARTE. IN
TOTUM verò hoc contingit ALVEI
MUTATIONE.

Quæ

Quæ est vel VERA, vel QVASI.

VERA, si flumen cursu antiquo mutato
& relicto alveo, aliò fluere cœpit.

§.24.

QVASI MUTATIO alvei contingit
per INUNDATIONEM, quæ vis flumi-
nis agrum, sed citra ejus corruptionem, oc-
cupat.

Tantum de NATURALI ACCES-
SIONE. Sequitur INDUSTRIALIS, quæ
artificiò & operâ hominum perficitur.

Et contingit vel MUTATA SPECIE
REI, vel EADEM SALVA MANENTE.

Prior ACCESSIO vocatur SPECIFI-
CATIO.

§. 25. 26.

SPECIFICATIO est nova speciei ex
aliena materia formatio.

Est vel tantùm EX RE ALIENA (kkkk),
vel NOSTRÆ ADJUNCTA (llll).

(kkkk) Priori casu nova species ex mate-
ria irreducibili facta, specificatori, ex
reducibili Domino materia acquiritur
h. §. n.

(llll) Posteriori, sine distinctione, qui spe-
ciem fecit, dominus efficitur.

Poste-

Posterior contingit variè, 1. ADJUN-
 CTIONE, 2. COMMIXTIONE, 3. IN-
 ÆDIFICATIONE, 4. PLANTATIO-
 NE, 5. SATIONE, 6. SCRIPTURA, 7. PI-
 CTURA, 8. POSSESSIONE REI ALI-
 ENÆ, 9. INVENTIONE THESAURI
 (mmmm).

(mmmm) In his omnibus valet Regula:
Pars cedit Toti, Accessorium Princi-
pali; Excepta Pictura, quæ propter artis
dignitatem tabulam ad se trahit. §. 34.
h. t.

§. 26.

1. ADJUNCTIO est, quæ rei nostræ
 principali ejus augendæ, ornandæ gratia,
 res aliena jungitur.

§. 27.

2. COMMIXTIO est, quando Do-
 minorum diversorum res ~~est~~ materiæ, in-
 ter se & in unum aliquod corpus permi-
 scentur.

Dividitur in CONFUSIONEM &
 COMMIXTIONEM IN SPECIE sic DI-
 CTAM.

CONFUSIO est rerum liquidarum
 (nnnn)

(*nnnn*) conjunctio, ut cum mel vino confunditur.

(*nnnn*) Ex quibus fit totum homogeneum.

§. 28.

COMMIXTIO est rerum solidarum (*oooo*) conjunctio, ut cum frumentum frumento miscetur.

(*oooo*) Quæ constituunt totum per aggregationem.

UTRAQUE vel est VOLUNTARIA vel FORTUITA (*pppp*).

(*pppp*) Althus. *Jurisprud. Romanæ. Lib. 1. Cap. XV.*

§. 30.

3. INÆDIFICATIO est ædificiū in suo solo ex aliena materia, vel ex sua materia in solo alieno extractio.

§. 31.

4. IMPLANTATIO est plantæ cum terra coalitæ, acquisitio.

§. 32.

5. SATIO FRUMENTI est, quâ frumentum solo alieno insitum domino acquiritur.

§. 33.

6. SCRIPTURA est, quâ literæ alie-

alienæ chartæ impositæ domino cedunt.

§. 34.

7. PICTURA est rei delineatæ pictori facta acquisitio.

§. 35.

8. POSSESSIO REI ALIENÆ est Actus, quo quis rem alienam opinione domini tenet.

§. 39.

9. THESAURUS est vetus depositio pecuniæ, cujus initii memoria non exstat, ut jam dominum non habeat (qqqq).

(qqqq) l. 31. §. 1. ff. de A. R. D.

Sic fuit ACQUISITIO, quæ SINE ALTERIUS contingit VOLUNTATE. Sequitur, quæ fit CUM VOLUNTATE ALTERIUS, & dicitur TRADITIO.

§. 40.

TRADITIO est actus, quo res voluntate domini ex justo titulo (rrrr) dominio nostro ritè adjicitur.

(rrrr) qui sc. habilis est ad Domini translationem, veluti Titulus dotis, donationis, permutationis &c. Excluditur ergo commodatum, precarium, depositum, conductio &c.

Estque

Estque vel **SPECIALIS** vel **GENERALIS**.

SPECIALIS expressâ constat conventionione.

EAQVE rursus est vel **VERA** vel **FICTA**.

ILLA est, qua res corporales de manu in manum traduntur.

HÆC est, qua res, etsi naturaliter tradita non sit, pro tradita tamen in effectum Juris habetur.

§. 43. 44.

Fitque vel **FICTIONE BREVIS MANUS**, veluti cum ex alia causa traditio facta ad instans negotium accommodatur, ut si rem locatam tibi vendidero ; vel **SYMBOLO** seu **NOTA**, quâ traditio repræsentatur, ut cum Claves apud horreum aut cellam traduntur, pro ipso frumento vel vino in horreo & cella.

§. 45. 46. 47.

GENERALIS facto declaratur.

Idque vel in **JACTATIONE MISSILIUM**, vel in **REBUS PRO DERELICTO HABITIS**.

Tantum

Tantum de ACQUISITIONE RE-
RUM CORPORALIUM, sequitur IN-
CORPORALIUM.

TIT. II.

DE

REBUS CORPORALIBUS
ET INCORPORALIBUS.

Sunt autem CORPORALES RES,
quæ sui naturâ tangi possunt.

INCORPORALES, quæ tangi ne-
queunt.

ILLÆ rursus sunt vel MOBILES vel
IMMOBILES.

MOBILES sunt, quæ citra sui destru-
ctionem de loco in locum moveri pos-
sunt.

Suntque vel MOBILES IN SPECIE,
quæ ab alio moveri possunt, vel SE MO-
VENTES; Hæque vel per se ANIMA-
TÆ, vel INANIMATÆ (ssss).

(ssss) Hahn. *ad Wesenbec. de R. D. n. IV.*
Verb. aut mobiles.

IMMOBILES sunt, quæ de loco in lo-
cum citra sui corruptionem moveri ne-
queunt.

Suntque vel NATURALITER, veluti
res

res soli, vel solo cohærentes ; vel CIVI-
LITER tales, quò spectant mobilia quæ-
dam, ut semina in agris, fructus penden-
tes, mancipium rusticum, item ; incorpo-
ralia, ut servitutes reales & personales &c.
(tttt).

(tttt) Id. d. l. Verbo. nisi per interpretat.
Lauterbach. Comp. Jur. de R. D. p.
m. 16.

REBUS INCORPORALIBUS annu-
merantur SERVITUTES.

TIT. III.

DE

SERVITUTIBUS RUSTICO-
RUM ET URBANORUM PRÆ-
DIORUM.

SERVITUS est Jus in re aliena ad alte-
rius utilitatem constitutum.

Estq̄ve vel REALIS vel PERSONA-
LIS.

REALIS, qua res rei (uuuu) servit.

(uuuu) Duo enim requiruntur prædia, do-
minans & serviens. §. 2. h. t.

Dividitur in RUSTICAM & URBA-
NAM.

Quarum ILLA rustico, HÆC urbano
servit prædio (xxxx).

C

(xxxx)

(xxxx) Prædia urbana æstimantur non ex loco, sed ex usu. Ludvv. Exercit. V. thes. III. lit. g.

pr. §. 2.

RUSTICÆ sunt: Iter, Actus, Via, Aquæductus, Aquæhaustus, pecoris ad aquam Appulsus, Jus pascendi, Calcis coqvendæ, arenæ fodiendæ &c.

§. 1.

URBANÆ sunt: Oneris ferendi, tigni immittendi, stillicidii vel fluminis recipiendi aut non recipiendi, altiùs tollendi, vel non tollendi, ne luminibus officiat, Luminum &c.

TIT. IV.

DE

USUFRUCTU.

PERSONALIS (yyyy) est, quæ res personæ (zzzz) servit.

(yyyy) Nam ea, quæ persona personæ servit, ad jus personarum pertinet. Ludvv. pr. de servit. Rust. & Urb. præd. n. 1.

(zzzz) Nominata sc. & ordinaria. Nam extraordinarie & innominatæ servitutes personales tot constitui possunt, quot in univèrsùm sunt servitutum species vid. l. 37. ff. de S. R. P. l. 2. §. 3. ff. si

ff. si ser. & vind. l. 14. §. ult. ff. de aliment. leg.

Et est vel **PLENA** vel **MINUS PLENA**.

Ad **PLENAM** refertur **USUSFRUCTUS**.

USUSFRUCTUS est Jus alienis rebus utendi fruendi, salvâ rerum substantiâ.

§. 2.

Dividitur (*A*) in **VERUM** & **QVASI**.

(*A*) Aliâs æquivocè dividitur etiam in *Causalem*, qui est rei propriæ, & *Formalem*, qui est rei alienæ. Biccus *Rer. quotidian. Sect. II. apborism. 31. lit. o.*

VERUS est, qui consistit in rebus non consumtibilibus.

QVASI, qui consistit in rebus consumtibilibus.

Ad **SERVITUTEM PERSONALEM** **MINUS PLENAM** pertinent **USUS**, **HABITATIO** & **JUS OPERARUM** **SERVILIUM**.

TIT. V.

DE

USU ET HABITATIONE.

C 2

USUS

USUS est Jus utendi rebus alienis ad quotidianam necessitatem, salvâ rerum substantiâ.

§. 5.

HABITATIO est Jus alienas ædes inhabitandi.

JUS OPERARUM SERVILIMUM est Jus omnem utilitatem ex operis servi alieni percipiendi.

§. Fin.

Sic fuit **ACQUISITIO JURIS GENTIUM** sequitur **JURIS CIVILIS**.

JURIS CIVILIS ACQUISITIO est vel **SINGULARIS** vel **UNIVERSALIS** (B).

(B) Qualitas verò modi universalis vel singularis non pendet ab *Objecto*, sed à *forma interna* & potestate Juris. Tabor. *Part. Elem. II. aph. 17. ex 3.* adde Bicc. *Sect. III. Rer. q̄otid. aphor. 2. 3. & 4.*

ACQUISITIO SINGULARIS respicit vel **MODUM ACQVIRENDI**, vel **PERSONAS ACQVIRENTES**.

MODI ACQVIRENDI sunt **USUCAPIO**, **DONATIO**, **LEGATUM**, & **FIDEICOMMISSUM PARTICULARE**.

TIT.

TIT. VI.

DE

USUCAPIONIBUS ET LONGI
TEMPORIS PRÆSCRIP-
TIONIBUS.

USUCAPIO est adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti (C).

(C) l. 3. ff. h. t.

Ab USUCAPIONE differebat olim (D) PRÆSCRIPTIO, quæ tamen hodie eidem est æquiparata (E).

(D) *Rebus scil., tempore & Effectu.* Vinn. pr. h. t. nec non *causa efficiente & Adjunctis.* Dn. Schvvend. in not. ad Eccolt. h. t. §. 5. *Verb. tribus modis.*

(E) l. un. C. de Usucap. transform. Quod tamen non nisi de *prescriptione longi temporis* accipiendum. *Prescriptio enim actionum s. longissimi temporis* adhuc distincta est ab Usucapione, & exceptionem operatur. Eccolt. h. t. d. §. 5.

TIT. VII.

DE

DONATIONIBUS.

Pr:

DONATIO (F) est actus, quo res aliqua

C 3

liqua

liqua ex mera liberalitate in alterum confertur.

(F) *Donationis* Verbum vel *proprie* pro ipsa datione accipitur, & est modus acquirendi dominii; vel *metonymicè* pro conventionem de dando & rationem contractus & tituli habet. Vinn. *ad Rubr. h. v. 2.*

Estque vel MORTIS CAUSA, vel NON MORTIS CAUSA.

§. 1.

DONATIO MORTIS CAUSA est, quæ propter mortis fit suspicionem.

§. 2.

DONATIO NON MORTIS CAUSA seu INTER VIVOS est, quæ fit sine ulla cogitatione mortis.

Estque vel SIMPLEX, vel RELATA.

SIMPLEX est, cum res nullo Jure cogente solius libertatis exercendæ gratia in alterum confertur.

RELATA, quæ fit ob causam.

§. 3.

Ad RELATAM spectat DONATIO PROPTER NUPTIAS.

DONATIO PROPTER NUPTIAS est,

est, quæ fit à marito uxori in securitatem dotis.

Hucusqve de MODIS ACQVIRENDI (G), sequuntur PERSONÆ.

(G) Duobus sc. *Usucapione & Donatione.*

Nam *Legata & Fideicommissa Particularia* opportuniùs inferiore loco referemus §. *fin. l. per q. p. nobis acqvi- ritur.*

TIT. IX.

QVIBUS ALIENARE LICET
VEL NON.

Pr:

PERSONA est vel ALIENANS, vel ACQVIRENS.

ALIENARE potest, qui est dominus, nisi sit maritus aut pupillus.

§. I.

ALIENARE nequit, qui non est dominus, Creditore excepto.

TIT. IX.

PER QVAS PERSONAS CU-
IQVE ACQVIRITUR.

Pr:

PERSONA ACQVIRENS vel IM-
C 4 MEDI-

MEDIATE acquirat per seipsam, vel MEDIATE per alios.

HI sunt vel IN POTESTATE vel EXTRA EAM.

IN POTESTATE sunt LIBERI & SERVI nostri.

§. I.

LIBERI JURE ANTIQVO, quicquid acquirerebant, parentibus acquirerebant.

JURE NOVO sub distinctione peculiorum acquirunt.

PECULIUM verò est filiorum vel servorum patrimonium seorsim à paternis vel dominicis rationibus constitutum.

Estque vel PAGANUM vel MILITARE.

PAGANUM extra militiam acquiruntur.

Idque dispescitur in PROPECTITIUM & ADVENTITIUM.

PROPECTITIUM ex re patris profectum totum est patris.

ADVEN-

ADVENTITIUM aliunde accedit.

Et est vel ORDINARIUM & REGULARE, vel EXTRAORDINARIUM & IRREGULARE.

ILLUD quoad usumfructum est patris, quoad proprietatem Filiifam.

HOC pleno jure filiofam. cedit.

MILITARE in Militia obvenit.

Estque vel CASTRENSE, vel QS.

CASTRENSE.

CASTRENSE in Militia sagata;

QUASI CASTRENSE in togata filio accedit.

§. 3.

Sic acquiritur per LIBEROS. SERVI verò omnia nobis acquirunt.

§. Pen.

Hæc est ACQUISITIO Personarum IN POTESTATE NOSTRA existentium. Per reliquas nihil nobis acquiritur, nisi sint PROCURATORES.

§. Fin:

Seqvitur ACQUISITIO JURIS CIVILIS UNIVERSALIS, quæ contingit
1. HEREDITATE, 2. BONORUM

C 5

POS-

POSSESSIONE, 3. ARROGATIONE,
4. ADDICTIONE BONORUM
LIBERTATUM CONSERVANDARUM CAUSA.

HEREDITAS est Jus Universale, quo bona defuncti ad nos pertinere, sive nostra esse dicimus (H).

(H) l. 26. ff. de R. J.

Defertur vel EX TESTAMENTO, hinc TESTAMENTARIA; vel AB INTTESTATO, hinc LEGITIMA.

TIT. X.

DE

TESTAMENTIS ORDINANDIS.

Pr. §. seqq.

TESTAMENTUM est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, (I).

(I) l. 1. ff. q. si test. fac. poss.

Dividitur in PUBLICUM & PRIVATUM.

ILLUD est, quod autoritate constat publica.

IDQUE rursus in OBLATUM, quod Principi offertur (K); & INSERTUM, quod

quod apud Magistratum inferiorem conficitur, dispescitur.

(K) l. 19. C. de Testam. ibiq. & Brunnem.

HOC privata autoritate nititur.

Estq.ve vel SOLENNE, vel MINUS SOLENNE.

ILLUD certis constat solennitatibus; HOC sine iis perficitur.

UTRUMQVE vel est SCRIPTUM vel NUNCUPATIVUM.

TESTAMENTUM SOLENNE SCRIPTUM est, quod in Scriptis perficitur.

§. Fin.

TESTAMENTUM NUNCUPATIVUM est, quod sine scriptura celebratur.

TIT. XI.

DE

MILITARI TESTAMENTO.

AD TESTAMENTUM MINUS SOLENNE refertur MILITARE (L).

(L) Nam præter hoc & alia minus solennia dantur Testamenta, veluti Parentum inter liberos, Rusticorum, tempore pestis,

C 6

& ad

*& ad pias causas conditum. Noricus.
in addit. h. t. in fin.*

Est autem MILITARE, quod à Militibus citra solennitates in expeditionibus conficitur.

TIT. XII.

QVIBUS NON EST PERMISSUM FACERE TESTAMENTUM.

CAUSA EFFICIENS Testamentorum est TESTATOR, qui hanc facultatem habet.

Sed possunt testari OMNES QUI NON PROHIBENTUR.

PROHIBENTUR autem

Filii familias

Surdi Muti

Impuberes, Furiosi.

Cœci (M)

Prodigi

Ii, qui sunt apud hostes.

(M) Verùm hi non simpliciter, sed ita, ut secundum Observationem fiat Testamentum. §. pen. h.

TIT.

TIT. XIII.

DE

EXHEREDATIONE LIBE-
RUM.FORMA Testamenti est INSTITU-
TIO HEREDIS.INSTITUTIO HEREDIS est futuri
successoris facta designatio.Estque vel PRIMA sive INSTITU-
TIO IN SPECIE sic DICTA, vel SE-
CUNDA sive SUBSTITUTIO.

PRIMA est, quæ fit primo gradu.

Et HÆC rursus est vel NECESSA-
RIA vel VOLUNTARIA.ILLA inter PARENTES & LIBE-
ROS obtinet.Hinc Regula: PATER LIBEROS in
potestate existentes, vel instituere heredes,
vel nominatim exheredare (N) tenetur.

(N) Est autem *Exheredatio* actus, quo is, cui
debetur legitima, ritè ab hæreditate ex-
cluditur. Fitque vel *bonâ mente*, non
notæ causa, ut liberis consulatur. l. 18.
ff. de lib. & posth. l. 16. §. 2. ff. de Cu-
rat. furios. vel *mala mente*, quæ inju-
riam infert, d. l. 18. de lib. & posth.

C 7

TIT. XIV.

TIT. XIV.

DE
HEREDIBUS INSTITU-
ENDIS.

HÆC inter QVOSVIS EXIRA-
NEOS consistit.

Et respicit cum PERSONAS INSTI-
TUENDAS, tum MODUM INSTITU-
ENDI.

Pr.

PERSONÆ INSTITUENDÆ sunt
LIBERI & SERVI.

MODUS alius est ratione QVANTI-
TATIS, alius ratione QVALITATIS.

§. 6.

Ratione QVANTITATIS hæreditas
dividitur in duodecim Uncias, quæ partes
propria nomina habent ab uncia ad as-
sem, ut puta hæc : Sextans, quadrans, tri-
ens, quincunx, semis, septunx, bes, do-
drans, dextans, deunx (O).

(O) Est verò Uncia *duodecima pars assis* ;
duæ uncia dicuntur *Sextans* quasi sexta
pars assis; tres uncia *quadrans*; quatuor
uncia *triens*; quinque uncia *quincunx*;
Sex uncia *semis*, qui est totius assis pars
dimidia;

dimidia; Septem uncia *Septunx*; octo uncia *bes* s. *Octunx*; novem uncia *Dodrans*; decem uncia *Dextans*; Undecim uncia *Deunx* appellantur. Vult. *hic*.

§. 9 & 10.

Ratione QUALITATIS Institutio heredis est vel PURA vel NON PURA.

PURA, quæ sit sine Diei vel conditionis adjctione.

NON PURA, cui vel Dies vel Condicio (P) adjicitur.

(P) *Conditio* propriè est qualitas actui adjecta, quæ vim ejus confert in casum futurum incertum. Lauterbach. *Comp. Jur. de pact. p. m. 39*. Dividitur 1. in *possibilem* & *impossibilem*. Ludvv. *b. l. n. 1*. *Il- la* est vel *Potestativa* vel *Casualis* vel *Mixta*. *Potestativa* est, quæ à voluntate & potestate implere debentis, *Casualis*, quæ à casu fortuito; *Mixta*, quæ ab utroque dependet. *Hæc* vel *naturalis* est vel *legalis*. *Naturalis* dicitur, cui natura impedimento est, quò minus existat, veluti, *si mare ebiberis*, *si Cælum digito attigeris*; *Legalis* verò, quæ bonis moribus est contraria, veluti *si furtum, homicidium, adulterium &c. feceris*, l. 15. ff. de Cond. Inst. 2. In Reso-
lutivam

lutiſam, quæ actum jam perfectum sub futuro aliquo eventu resolvit, & *suspenſivam*, quæ actum plenè perficiendum confert in eventum futurum. Lauterbach. *d. l. p. 40.* Hahn. ad Weseub. *de in diem addictione N. II.*

Hæc de PRIMA INSTITUTIONE sequitur SECUNDA sive SUBSTITUTIO.

TIT. XV.

DE
VULGARI SUBSTITUTIONE.

SUBSTITUTIO est secundi vel ulterioris heredis institutio in locum deficientis facta.

Est quæ vel VULGARIS vel PUPILLARIS.

VULGARIS est, quæ fit à quocunqve testatore, cuicunqve heredi in casum communem non existentium heredum (Q).

(Q) Formula ejus est: *Titius heres esto, si Titius heres non erit, Cajus heres esto.*

TIT. XVI.

DE
PUPILLARI SUBSTITUTIONE.

Pr. PU-

Pr.

PUPILLARIS est, vel **VERA** vel **QVASI**.

VERA est, quæ fit à patre liberis impuberibus & in potestate existentibus in casum heredum existentium, sed intra annos pupillares decedentium (R).

(R) Formula est: *Filius meus heres mihi esto. Etsi filius meus heres mihi erit, & prius moriatur, quam in tutelam suam venerit, tunc Sejus heres esto.*

§. 1.

QVASI PUPILLARIS substitutio est, quæ fit à Parentibus liberis mente captis, in eum casum, si hæredes erunt & in illa infirmitate decesserint (S).

(S) Formula: *Titius heres esto, etsi heres erit, sed in illa infirmitate decesserit, Sejus heres esto.*

Tantum de **TESTAMENTI CONSTITUTIONE**, sequitur quomodo **INFIRMETUR**.

TIT. XVII.

QVIBUS MODIS TESTAMENTA INFIRMANTUR.

INFIRMATUR (T) vel ipso **JURE** vel **OFFICIO JUDICIS**.

(T) II-

(T) Illud scil. Testamentum, quod jure factum est. Nam interdum ab initio est ipso Jure nullum, veluti si Testator est inhabilis. *l. 4. s. ff. q̄ si test. fac. poss.* vel Heredis institutio aut exheredatio omissa. *l. 30. ff. de lib. & posth.* Et ita querela nullitatis locum habet *l. 55. de leg. 1.*

Pr.

IPSO JURE vel RUMPENDO, vel AD IRRITUM deducendo.

§. I.

RUMPITUR Testamentum AGNATIONE & TESTAMENTO POSTERIORE.

AGNATIO est vel NATURALIS vel CIVILIS.

NATURALIS, qua patri post Testamentum ritè conditum posthumus, de quo non cogitavit, nascitur.

CIVILIS, qua quis post Testamentum, factum per arrogationem, vel adoptionem sibi filium eligit.

IRRITUM fit (V) testamentum Capitis Deminutione, Desertione seu Destitutione.

(V) Aliud est *irritum esse*, aliud *irritum fieri*. *Irritum est* Testamentum, quod nunquam

nunquam constitit ; sed *irritum fieri*
dicitur , quod ex post facto infirmatur.
Vinn. ad §. 5. h. r.

TIT. XVIII.

DE

INOFFICIOSO TESTA-
MENTO.

OFFICIO JUDICIS infirmatur Te-
stamentum **Q**VERELA INOFFI-
CIOSI.

Est autem **Q**VERELA INOFFICI-
OSI actio, qua ritè quidem, sed iniquè ex-
heredatus agit contra scriptum heredem,
ut testamentum rescindatur, & rescisso
testamento hereditas restituatur.

Hactenus de **CAUSIS TESTAMEN-
TI**, sequitur **EFFECTUS**.

TIT. XIX.

DE

HEREDUM QUALITATE
ET DIFFERENTIA.

EFFECTUS TESTAMENTI est **HE-
REDITATIS ACQUISITIO**.

HEREDITATIS ACQUISITIO re-
spicit vel **PERSONAS ACQVIRENTES**,
vel **MODUM ACQVIRENDI**.

Pr. PER-

Pr :

PERSONÆ sunt HEREDES.

HEREDES autem aut NECESSARIJ dicuntur, ut Servi; aut SUI & NECESSARIJ, ut liberi; aut EXTRANEI.

§. 4.

In EXTRANEIS requiritur TESTAMENTI FACTIO, quæ est duplex: ACTIVA & PASSIVA.

ACTIVA jus testamenti faciendi tribuit.

PASSIVA est, cujus beneficio heres scribi, vel capere aliquid ex alieno testamento quis potest.

§. 5.

MODUS ACQVIRENDI consistit in HEREDITATIS ACCEPTIONE.

EAM aliter acceptant SUI, aliter EXTRANEI.

SUI IPSO JURE fiunt heredes, EXTRANEI ADITIONE.

ADITIO autem hîc vel IN SE, vel respectu BENEFICIORUM heredibus indultorum consideratur.

Ejus-

EJUSMODI DUO sunt: JUS DELIBERANDI & INVENTARII CONFECTIO.

JUS DELIBERANDI est consultatio de hereditate adeunda (X), vel repudian- da (Y), certo tempore.

(X) *Aditio* de Extraneis; *Immixtio* de suis heredibus prædicatur.

(Y) Extranei *repudiant* hereditatem, sui *ab- stinent*.

CONFECTIO INVENTARII est bonorum in hereditate repertorum anno- tatio, & in scripturam redactio.

§. Fin.

ADITIO IN SE considerata est de- claratio voluntatis de acqvirenda heredi- tate.

Dividitur in ADITIONEM in specie sic DICTAM, quæ VERBIS, & PRO HEREDE GESTIONEM, quæ FACTIS declaratur.

TESTAMENTO utpote PRINCI- PALI explicato subjiciuntur ACCESSO- RIA, qualia sunt LEGATA, FIDEI- COMMISSA, CODICILLI.

TIT.

SARII
ECES-

ESTA-
ex: A-

ndi tri-

o heres
o testa-

sistit in

er EX-

s, EX-

vel re-
bus in-

Ejus-

TIT. XX.

De

LEGATIS.

LEGATUM proponitur vel in CON-
SENTANEIS, definitione & causis,
vel in DISSENTANEIS.

§. 1.

Est verò LEGATUM donatio quæ-
dam, verbis directis (Z) à defuncto reli-
cta, ab hærede præstanda.

(Z) Verba, quibus aliquid relinquitur, vel
sunt *Imperativa*; heres esto, heredem
instituo, do, lego, præcipio, tibi habeto;
vel *Precativa*; Rogo, peto, mando,
deprecor, cupio, desidero. *Illis* in lega-
tis; *his* verò in fideicommissis utimur.

§. 2.

OLIM erant LEGATORUM GE-
NERA quatuor, per VINDICATIONEM
(AA), per DAMNATIONEM
(BB), SINENDI MODO (CC), per
PRÆCEPTIONEM (DD).

(AA) Formulæ: do, lego, capito, sumito,
tibi habeto, vindicato.

(BB) Formula: Heres meus damnas esto
dare, dato, facito, heredem meum
dare jubeo.

(CC) For-

(CC) Formula: *Heres meus damnas esto, sinere L. Titium illam rem, sibiq; se habere.*

(DD) Formula: *L. Titius mihi ex parte heres illam rem precipito, aut precipuam habeto.*

Sed HODIE omnibus est una natura;

§. 8.

Etiam DUOBUS vel PLURIBUS conjunctim legatur, quo casu uno deficiente ad collegatarium res legata pertinet JURE ACCRESCENDI.

Est autem JUS ACCRESCENDI Jus, quo rei, pluribus relictæ, portio vacans devolvitur ad conjunctum ad conservandam hereditatis individuitatem & Testatoris voluntatem.

Obtinet tantum in CONJUNCTIS, qui triplices, RE, VERBIS & MIXTIM CONJUNCTI (EE).

(EE) l. 142. ff. de V. S. l. 89. ff. de leg. 3.

RE CONJUNCTI vocantur, quibus una res diversis orationibus sive propositionibus relinquitur, e. gr. Titio fundum Tusculanum do, lego; Mevio fundum Tusculanum do, lego.

VER-

VERBIS, quibus una res una oratione æqvis partibus (*FF*) relinquitur, v.g. Titio & Mevio fundum Tusculanum æqvis partibus do, lego.

(*FF*) Partes ejusdem rei ab initio pluribus relinqvuntur dupliciter, *absolute*, quando singulis ejusdem rei partes legatae, *eventualiter* & *relative* ad casum concursus, quando singulis tota res est relicta, quam tamen voluit testator inter illos in concursu communem.

RE & VERBIS CONJUNCTI sunt, quibus una res eadem oratione sine partium expressione relinquitur, v. gr. Titio & Mevio fundum Tusculanum, do, lego.

TIT. XXI.

DE
ADEMPTIONE ET TRANSLATIONE LEGATORUM.

Pr.

DISSENTANEA LEGATORUM sunt ADEMPTIO & TRANSLATIO.

ADEMPTIO est actus, quo per contrari-

trariam legantis voluntatem legatum, anteà rectè relictum, iterum adimitur.

Fitq̄ve vel VERBIS vel FACTIS.

§. I.

TRANSLATIO est, qva legatum prius relictum iterum immutatur, & aliud constituitur.

TIT. XXII.

DE

LEGE FALCIDIA.

MINUITUR saltem LEGE FALCIDIA.

LEGE FALCIDIA cavetur, ne plus legare liceat, quam dodrantem omnium bonorum.

TIT. XXIII.

DE

FIDEICOMMISSARIIS HEREDITATIBUS ET AD SENATUSCONSULTUM TREBELLIANUM.

Pr:

FIDEICOMMISSUM est ultima voluntas, qva verbis precariis alicui aliquid relinquitur. (GG).

D

(GG) Sub

(GG) Sub hac formula: *Lucius Titius heres esto; Rogo te, Luci Titi, ut, cum primum poteris meam hereditatem adire, eam Cajo Sejo reddas, restituas.* §. 4. h. r.

Estque vel **UNIVERSALE** vel **PARTICULARE**.

UNIVERSALE est, cum tota hereditas, vel pars ejus ab hæredē præstanda relinquitur.

DUO hîc occurrunt **SENATUSCONSULTA**: **TREBELLIANUM** & **PEGASIANUM**.

§. 4.

TREBELLIANO de translatione actionum hereditariarum cavetur.

§. 5.

PEGASIANO, ut liceat heredi quartam Partem detrahere (**HH**).

(**HH**) Hodie vis omnis *SenatusConsulti Pegasiani* in *Trebellianum* est transfusa, ut jam ex hoc solo restituatur hereditas. §. 7. h. r.

TIT. XXIV.

DE

SINGULIS REBUS PER FIDEICOMMISSUM RELICTIS.

PAR.

PARTICULARE est, quo saltem res
singulæ (II) relinquitur.

(II) Perinde ut in *legatis*. Unde etiam *legata* his *fideicommissis* sunt adæqvata.
§. 3. l. de *legat. l. 2. C. Comm. de legat.*
sc. quoad *effectus*. Nam in reliquis
adhuc differunt. Ludvv. *ad d. §. 3. 1. de*
leg. n. 2.

TIT. XXV.

DE

JURE CODICILLORUM.

CODICILLI sunt ultima voluntas
minus solennis absque heredis Insti-
tutione (KK) de eo, quod quis post mor-
tem suam fieri velit, facta.

(KK) *Directa* puta. Cæterum per *Fidei-*
commissum sive *verbi precariis* Codi-
cillis jure hereditas relinquitur. l. 2. C.
h. t.

§. I.

Fiuntque vel CUM TESTAMENTO
vel ab INTESTATO.

ILLI naturam testamentorum sequun-
tur.

IN HIS verò ab intestato venientes
rogati censentur, ut codicillis relicta præ-
stent.

D 2

Huc

Huc pertinet **CLAUSULA CODICILLARIS**, quæ est clausula declaratoria ulterioris Testatoris voluntatis, eum in finem facta, ut dispositio, si jure directo non valeat, in vim fideicommissi valere debeat.

LIB. III.

TIT. I.

DE

HEREDITATIBUS, QUÆ AB INTESTATO DEFERUNTUR.

Sic fuit **HEREDITAS TESTAMENTARIA**, sequitur **LEGITIMA**.

LEGITIMA est, quæ à sola lege ab intestato defertur.

Pr.

INTESTATUS decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id, quod fecerat, ruptum irritumve factum est, aut si ex eo nemo heres extiterit.

Defertur autem **HEREDITAS CERTIS PERSONIS**, sed aliter **JURE ANTIQVO**, aliter **JURE NOVO**.

§. I. JU-

§. I.

JURE ANTIQVO sub duplici ORDINE, quorum PRIOR est SUORUM HEREDUM, ALTER AGNATORUM.

§. 2.

SUI HEREDES sunt liberi defuncti, qui in potestate morientis fuerunt, & tempore delatæ hereditatis primum in familia defuncti gradum obtinent.

Suntque tales vel NATURA, ut filii, filia, nati, nascituri; vel SUCCESSIONE seu REPRÆSENTATIONE, ut cæteri ex filiis & filiabus descendentes (LL).

(LL) Rebhahn. Hodeg. Jur. Chart. III, Clim. II. aph. 57. in not.

TIT. II.

DE

LEGITIMA AGNATORUM
SUCCESSIONE.

Pr.

DEFICIENTIBUS SUIS (MM), AGNATIVOCANTUR.

(MM) Suis & ipse Agnatus est, l. 12. ff. de suis & leg. hered. hic autem speciale nomen habet, & Agnatis contradistinctivitur, Franz. h. Cap. 8, II. n. 8.

C 3

TIT.

TIT. III.

De

SENATUSCONSULTO
TERTULLIANO.

Pr :

Hinc inter MATREM & FILIUM
FILIAMVE ultrocitroqve heredi-
tatis capiendæ jus non erat, nisi ex SCTO
TERTULLIANO & ORPHITIANO.

§. 2.

TERTULLIANO cautum est, ut ma-
ter ingenua trium liberorum jus habens,
libertina quatuor ad bona filiorum filia-
rumve admittatur intestatõ mortuorum.

TIT. IV.

DE

SCTO ORPHITIANO.

Pr :

ORPHITIANO liberi ad bona Ma-
trum intestatarum admittuntur.

TIT. V.

DE

SUCCESSIONE COGNA-
TORUM.

Pr. Post

Pr:

Post heredes SUOS & AGNATOS
Prætor ad successionem vocat CO-
GNATOS.

TIT. VI.

DE

**GRADIBUS COGNATIO-
NUM.**

IN HIS proximitatis GRADUUM ra-
tio habenda.

Unde de GRADIBUS & LINEIS di-
cendum.

GRADUS est ipsa generationis series,
quod alii ab aliis quasi gradibus quibus-
dam orientur.

LINEA est series personarum ab eodem
stipite venientium, gradus continens &
numeros distingvens.

Estque vel RECTA, vel TRANSVER-
SA seu LATERALIS.

ILLA est, quæ continet personas, quæ
PARENTUM & LIBERORUM nomi-
ne veniunt.

Estque vel SUPERIOR, in qua sunt
PARENTES, i. e. omnes Ascendentes;

D 4

vel

vel **INFERIOR**, in qua **LIBERI**, i. e. descendentes.

HÆC eorum est, qui ex latere veniunt, h. e. à quibus nec nos originem trahimus, nec illi à nobis, nobiscum tamen ab uno communi stipite descendunt. Huc spectant **FRATRES & SORORES** eorumque **LIBERI, PATRUI &c.**

Estque vel **ÆQUALIS** vel **INÆQUALIS**.

ÆQUALIS est, in qua latera utrinque coeunt, quæ scilicet eorum est, qui pari gradu distant à communi stipite.

INÆQUALIS cum alter est remotior, alter propinquior.

TIT. VII.

DE

SERVILI COGNATIONE.

Quod attinet **SERVILEM COGNATIONEM**, **JURE** quidem **ANTIQVO** illius ratio in successione insuper habebatur: **JURE** tamen **NOVO** nati ex servis ancillisve, si parentibus manumissis ipsi quoque manumissi sint superstites, eis ab intestato succedunt, exclus

sis

sis patronis , à quibus antea excludeban-
tur.

TIT. VIII.

DE

SUCCESSIONE LIBER-
TORUM.

Subjicit Imp. hîc, quomodo LIBERTIS
PATRONI succedunt.

§. 1. & seqq.

Quod per varia Jura subinde mutata
explicatur.

Sed ipse Justin. JURA INGENUITA-
TIS & LIBERTINITATIS quoad suc-
cessionem penè consonantia fecit.

TIT. IX.

DE

ADSIGNATIONE LIBER-
TORUM.

Generaliter verò definitum est , patro-
no mortuo, ad liberos ejus, qui gradu
proximi sunt, bona liberti ex æquo perti-
nere.

Datur tamen limitatio, NISI UNI EX
LIBERIS LIBERTUM ASSIGNAVE-
RIT

D 5

RIT

RIT PATER, nam tum is solus patronus est.

Tali modo succeditur JURE ANTIQVO, longè aliter JURE NOVO.

NOVELL. CXVIII.

JURE NOVO succedunt 1. DESCENDENTES, 2. ASCENDENTES, 3. COLLATERALES.

CAP. I.

DESCENDENTES primi gradus IN CAPITA, ulterioris seu soli, seu cum illis, IN STIRPES succedunt.

IN CAPITA succedi dicitur, cum in tot partes Hereditas dividitur, quot sunt capita, seu personæ succedentium.

IN STIRPES, cum pro numero stirpium secatur, ut qui sunt ex una stirpe, partem unam ferant, qui ex altera, licet pauciores aut unus tantum, partem alteram.

CAP. II.

ASCENDENTES seu soli, sed tamen secundum gradus prærogativam, seu cum fratribus utrinque conjunctis IN CAPITA; cum prædefunctorum fratrum liberis verò IN STIRPES admittuntur.

CAP.

CAP. III.

EX COLLATERALIBUS primò vocantur Fratres utrinque conjuncti soli IN CAPITA, cum prædefunctorum fratrum liberis IN STIRPES. HIS non extantibus fratres ab uno latere; & tandem cognati ultteriores in infinitum succedunt.

Hucusque de HEREDITATE.

TIT. X.

DE

BONORUM POSSESSIONE.

SECUNDUS MODUS Dominium, per universitatem acqvirendi est BONORUM POSSESSIO.

BONORUM POSSESSIO est jus persequendi & retinendi patrimonii vel rei, quæ cujusque, cum moreretur, fuit.

Estque vel EDICTALIS vel DECRETALIS.

EDICTALIS est, quæ datur ex Edicto Prætoris, sine causæ cognitione, de plano, nec tribunal desiderat.

Estque vel ORDINARIA vel EXTRAORDINARIA.

D 6

ORDI-

ORDINARIA, quæ ex certa Edicti parte certoqve ordine defertur.

Defertur vel EX TESTAMENTO vel AB INTESTATO.

EX TESTAMENTO, ut: BONORUM POSSESSIO SECUNDUM, & CONTRA TABULAS.

BONORUM POSSESSIO SECUNDUM TABULAS est, quæ secundum testatoris voluntatem omnibus jure scriptis vel nuncupatis heredibus defertur.

BONORUM POSSESSIO CONTRA TABULAS est, quæ liberis præteritis contra testamentum & voluntatem defuncti datur.

AB INTESTATO, ut:

BONORUM POSSESSIO UNDE LIBERI, quæ datur liberis suis & emancipatis.

B. P. UNDE LEGITIMI, quæ vocantur agnati.

B. P. UNDE COGNATI, quæ vocantur Cognati.

B. P. UNDE VIR & Uxor, quæ datur

datur Conjugibus invicem
(*NN*).

(*NN*) Hodie etiam, si matrimonium indotatum, defunctus dives & superstes inops, ad quartam hæreditatis, si liberi fuerint tres vel patricios; si verò plures fuerint, ad portionem virilem, & quidem si concurrant cum adscendentibus & Collateralibus, pleno Jure, si verò cum liberis ejusdem Matrimonii, quoad usufructum, admittuntur. *Auth. præterea C. unde Vir & Uxor. Nov. 117. cap. 7.*

EXTRAORDINARIA, quæ extra ordinem ex novis legibus defertur.

DECRETALIS, quæ datur ex Decreto cum causæ cognitione pro tribunali.

SPECIES ejus sunt : CARBONIANA, VENTRIS NOMINE, LITIS ORDINANDÆ vel PRÆPARANDÆ GRATIA.

CARBONIANA, quæ decernitur liberis, quibus de statu & hereditate paternâ simul quæstio movetur, perinde ac si lis mota non fuisset, dilatâ quæstione in tempus pubertatis.

VENTRIS NOMINE, quæ datur mulieri

Ieri prægnanti in bonis mariti, donec enixa sit, vel eam gravidam esse constet.

LITIS ORDINANDÆ vel PRÆPARANDÆ GRATIA, quæ datur filio emancipato exheredato vel præterito, ad consequendam facultatem intentandi querelam inofficiosi.

TIT. XI.

DE

ADQUISITIONE PER
ARROGATIONEM.

TERTIUS MODUS per Universitatem acquirendi dominium est ARROGATIO, quâ is, qui se arrogandum, dat cum capite fortunas quoque suas i. e. omnia, quæ habet, transfert ad patrem adoptivum.

TIT. XII.

DE

EO, CUI LIBERTATIS
CAUSA BONA ADDICUNTUR.

QUARTUS est ADDICTIO BONORUM LIBERTATUM CONSERVANDARUM CAUSA, quâ illi, qui nullò existente herede, præstitâ cautione
Liber-

Libertatum conservandarum causâ bona sibi addicipetunt, audiuntur.

TIT. XIII.

DE

SUCCESSIONIBUS SUBLATIS, QUÆ FIEBANT PER BONORUM VENDITIONEM ET EX SCTO CLAUDIANO.

ERant olim & alii DUO MODI per universitatem acqvirendi, BONORUM VENDITIO & EX SCTO CLAUDIANO. Qui tamen ab usu recesserunt.

TIT. XIV.

DE

OBLIGATIONIBUS.

SIC fuit JUS IN RE; sequitur JUS AD REM.

Uno vocabulo OBLIGATIONIS appellatum est (OO).

(OO) Tabor *Partit. Element. Part. III. Sect. III. th. 4.*

OBLIGATIO est juris vinculum, quô quis ad aliquid dandum vel faciendum adstringitur.

I. Di-

I. Dividitur in NATURALEM, CIVILEM & MIXTAM (PP).

(PP) Dividitur etiam in *publicam* & *privatam*. Quarum *illa* inter personas publicas, veluti inter Magistratum & subditos; *haec* inter privatos obligat. Tabor. *d. l. th. 6. & 7.*

NATURALIS OBLIGATIO est vinculum aequitatis naturalis, quo quis naturaliter ad solvendum adstringitur.

Estque vel PLENA, vel MINUS PLENA.

MINUS PLENA (imperfecta) est, quâ ex mera honestate & aequitate naturali aliquis obligatur (QQ).

(QQ) qualis est obligatio remuneratoria. *l. 25. §. 11. ff. de hered. petit.* Hæc in jure effectum habet nullum, nec intelligitur nomine naturalis obligationis. Lauterb. *Comp. Jur. de O. & A.*

PLENA (perfecta) est, quâ quis adstringitur ad præstandum id, quod honestè promissum est (RR).

(RR) qualis oritur ex Contractu Servorum *l. 14. ff. de O. & A. l. 13. ff. de Const. pec. inter patrem & filium. l. 56. §. 1. ff. de fidejuss. ex pacto nudo l. 5. §. 2. ff. de Solut.*

Et

Et HÆC rursus vel est APPROBATA, vel REPROBATA.

ILLA dicitur, cui à Jure Civili certi attribuantur effectus (SS).

(SS) Cujusmodi sunt Retentio l. 13. l. 14. l. 41. l. 64. ff. de Cond. Indeb. Compensatio l. 6. ff. de Compens. Novatio l. 1. ff. de Novat. Constitutum. l. 1. §. pen. ff. de Const. pec. Fidejussio l. 16. §. 4. ff. de fidejuss. pignus. l. 14. §. 1. ff. de pign.

HÆC est, cui juris civilis effectus denegantur (TT).

(TT) quo pertinet obligatio naturalis pupillorum. l. 59. ff. de O. & A. l. 41. ff. de Cond. ind. l. 6. ff. de V. O. mulierum intercedentium l. 16. ff. ad SCt Vellej. l. 9. C. eod.

CIVILIS OBLIGATIO est Vinculum juris civilis, quo quis citra æqvritatis rationem ad aliquid præstandum astringitur (VV).

(VV) veluti est, quæ descendit ex negotio doloso, coacto, vel ex errore aut spe futuræ solutionis inito §. 1. J. de Except. producit quidem actionem, sed quæ per Exceptionem oppositam tollitur.

MIXTA OBLIGATIO est vinculum æqvritatis

æqvitat̃ naturalis & civilis, quò quis ad aliquid præstandum efficaciter (XX) adstringitur.

(XX) quod fit in Contractibus, v. g. Mutuo, Commodato &c.

§. I.

QVÆ iterum dispescitur in CIVILEM IN SPECIE SIC DICTAM & PRÆTORIAM.

ILLA aut est legibus CONSTITUTA (YY) aut certo jure civili APPROBATA (ZZ).

(YY) Huc refer obligationem ex Stipulatione, literarum Obligatione, pactis legitimis &c.

(ZZ) Spectant huc Obligationes ex Contractibus Juris Gentium. *l. 7. ff. de Pactis.*

HÆC, quam Prætor ex sua Jurisdictione constituit (AAA).

(AAA) ut: Obligatio ex hypotheca, Constituto &c.

§. Fin.

II. Dividuntur OBLIGATIONES IN EAS, quæ ex FACTO (BBB) CIVILI (licito), & INCIVILI (illicito) oriuntur.

(BBB) Intelligimus verò hîc non factum
absolutum

absolutum, sed conventionale. Tabor.

Part. Element. Part. III. Sect. III. a. 31.

FACTUM LICITUM vel est PACTUM vel CONTRACTUS.

PACTUM est duorum pluriumve in idem placitum consensus (CCC).

(CCC) *l. 1. §. 2. ff. de pactis.*

Estque vel NUDUM vel NON NUDUM (vestitum).

NUDUM est, quod in simplicibus conventionis finibus consistit (DDD).

(DDD) adeoque jure civili neque obligationem neque actionem producit *l. 7.*

§. 4. ff. de pactis.

NON NUDUM, cui ultra simplices fines conventionis vis aliqua civiliter ac efficaciter obligandi extrinsecus accedit (EEE).

(EEE) indeque civilem actionem producit.

l. 15. ff. de P. V.

Idque iterum in LEGITIMUM & ADJECTUM dividitur.

LEGITIMUM est pactum à speciali lege confirmatum (FFF).

(FFF) ut: donatio *l. 35. §. fin. C. de donation.* dotis promissio *l. 6. C. de dotis promissione.* Pactum usurarum *l. 30. ff. de usu-*

*de usuris, l. 12. C. eod. Constitutum. r. r.
ff. de Const. pec.*

ADJECTUM, quod contractibus, vel
IN CONTINENTI (GGG), vel EX
INTERVALLO (HHH) adjicitur.

(GGG) Sic est pars Contractus ejusque acti-
onem producit *l. 7. §. 5. ff. de Pactis
l. 13. C. eod.*

(HHH) sic pro nudo pacto habetur. *d. text.*

Hæc de PACTIS, sequuntur CON-
TRACTUS.

CONTRACTUS est conventio pro-
pria suâ vi obligationem ad agendum effi-
cacem producens.

Dividuntur CONTRACTUS in VE-
ROS & QVASI.

VERI expressâ constant conventiones.
Suntque HI vel NOMINATI vel
INNOMINATI.

INNOMINATI sunt, qui sine certa
determinataque forma ob causam (III),
quæ subest, obligationem & Actionem
producunt.

(III) *Causa* hic significat dationem aut fa-
ctum actuale, ut iterum aliquid detur, vel
fiat, *l. 7. §. 2. ff. de pact.* Alias acceptiones
vid. ap. Hahn. *ad Wesenb. de pact. n. II.*
Sicuti

Sicuti verò *causa* Contractus Innominatos ; ita *nomen* contractus nominatos designat. *l. 7. §. 1. ff. de pact.*

Suntque vel REGULARES, qui regularem contractuum innominatorum naturam habent (KKK), vel IRREGULARES, qui à regulari contractuum innominatorum naturâ nonnihil deflectunt (LLL).

(KKK) Species ejus sunt : *Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. l. 5. ff. de P. V.*

(LLL) quales sunt : *Contractus estimatorius & permutatio.*

NOMINATI sunt, in quibus consensus super certissimas determinatur circumstantias.

Et incuntur vel RE, vel VERBIS, vel LITERIS, vel CONSENSU.

CONTRACTUS REALES dicuntur, qui præter consensum rei traditionem ad sui perfectionem desiderant.

Quorum quidam sunt RERUM FUNGIBILIMUM, ut: MUTUUM ; quidam RERUM NON FUNGIBILIMUM, ut: COMMODATUM, DEPOSITUM, PIGNUS.

TIT.

TIT. XV.

QVIBUS MODIS RE CONTRAHITUR OBLIGATIO.

Pr :

MUTUUM est Contractus verus, nominatus, realis, unilateralis (*MMM*), stricti Juris (*NNN*), quo res fungibilis eâ lege datur, ut ab accipiente in eodem genere (*OOO*) restituatur.

(*MMM*) Contractus ab Effectu in *Unilaterales*, & *Bilaterales*, distingvuntur, *Unilaterales* sunt, in quibus unus solum ex contrahentibus obligatur, & una hinc nascitur actio; veluti in Mutuo, stipulatione, literarum Obligatione, Hereditatis aditione, Solutione Indebiti &c. *Bilaterales*, in quibus uterq; contrahentium adstringitur vel *aequaliter*, & utrinque directa actio, v. g. in Emptione Venditione, Locatione, Conductione, Emphyteusi, Societate, Communionem rerum, Hereditatis communi-
one; vel *inaequaliter*, & ab una parte directa, ab altera contraria nascitur Actio, e. g. in Commodato, Deposito, Pignore, Mandato, Negotiorum gestione, Tutelæ administratione.

(*NNN*) Alii etiam Contractus *Bona fidei*, alii *stricti Juris*, habentur, Illi vocantur
tur

tur, in quibus non verbis adhæremus, sed æqvâ & benignâ interpretatione agit officium Judicis, quantum in aliis nominatim ejus conventio. Huc pertinent omnes Bilaterales, & ex Innominatis Contractus, Æstimatorius & Permutatio. Hi verò, in quibus Judicis potestas ad verba & naturam conventionum est adstricta. Spectant huc omnes Unilaterales & reliqui Contractus Innominati.

(OOO) ICTorum *Genus* est Philosophorum *Species*, & ICTorum *Species* est Philosophorum *Individuum*. Dn. Schilt. *Prax. Art. Analyt. Cap. II. §. 4. 5. & seqq.*

Oritur exinde **CONDICTIO CERTI EX MUTUO**, quæ est actio Civilis, personalis, rei persecutoria, stricti Juris, quæ datur mutuanti adversus mutuatarium ad rem mutuatam in genere restituendam.

§. 2.

COMMODATUM est Contractus verus, nominatus, realis, bilateralis, bonæ fidei, quò res gratis ad certum usum conceditur, ut finito usu in specie restituatur.

Duplex ex hoc contractu descendit actio

ctio

Actio, DIRECTA & CONTRARIA
(PPP).

(PPP) *Directa* ex principali obligatione;
Contraria ex accessoria nascitur.

ACTIO COMMODATI DIRECTA
est actio civilis personalis, rei persecuto-
ria, bonæ fidei, quæ datur commodanti
adversus commodatarium, ut finito usu
res salva & integra restituatur.

ACTIO COMMODATI CON-
TRARIA commodatario ad petendum,
quod suâ interest, competit.

§. 3.

DEPOSITUM est Contractus verus,
nominatus, realis, bilateralis, bonæ fidei,
quo res gratis alterius fidei & custodiæ cõ-
mittitur, ut, quandocunqve libuerit depo-
nenti, eâdem in specie reddatur.

Hinc ACTIO DEPOSITI DIRE-
CTA & CONTRARIA.

ACTIO DEPOSITI DIRECTA est
actio civilis, personalis, rei persecutoria,
bonæ fidei, quâ deponens agit adversus
depositarium, ut rem depositam in specie
reddat.

ACTIO DEPOSITI CONTRARIA
Deposi-

depositario ad consequendum, quod suū
interest, datur.

§. Fin:

PIGNUS (*QQQ*) est contractus ve-
rus, nominatus, realis, bilateralis, bonæ fi-
dei, quō res in crediti restituendi fidem at-
que securitatem traditur.

(*QQQ*) quatenus sc. *rei traditione* per-
ficitur: Nam si *nudā conventionē*, inter
species Juris in re refertur, actionemque
realem producit. §. 7. *J. de Actionibus.*

TIT. XVI.

DE

VERBORUM OBLIGA- TIONIBUS.

Pr:

SIC fuerunt CONTRACTUS REA-
LES; VERBIS (*RRR*) contrahitur
STIPULATIO.

(*RRR*) *Solennibus* puta. *Vulgaria* enim
Verba etiam ad cæteros contractus re-
feruntur.

STIPULATIO est contractus verus,
nominatus, verbalis, unilateralis, stricti Ju-
ris, mutuā, eaque congruā interrogatione
& responsione constans.

E

Oritur

ARIA

gatione;

ECTA

secuto-

nodanti

ito usu

CON-

endum,

verus,

æ fidei,

diæ cō-

depo-

DIRE-

TA est

toria,

dversus

specie

ARIA

Deposi-

Oritur inde **CONDICTIO CERTI**, cum certum; & **ACTIO EX STIPULATU**, cum incertum in stipulationem deductum est.

UTRAQVE est actio civilis, personalis, rei persecutoria, stricti Juris (*SSS*), quæ datur stipulatori adversus promissorem, ut, quod in stipulationem deductum est, præstetur.

(*SSS*) Hoc ita, si *certum* in stipulatione ver-
latur. Nam si *incertum*, actio est arbi-
bitraria. Biccus *sect. V. Rer. quotid.*
aph. 23.

TIT. XVII,

DE

**DUOBUS REIS STIPULAN-
DI ET PROMITTENDI.**

STIPULATOR & PROMISSOR vel
est **UNUS**, vel **DUO PLURESVE**.
Hinc **REI STIPULANDI & PROMIT-
TENDI.**

rei rei **REI STIPULANDI** sunt, qui ean-
endi. dem rem ab eodem in solidum stipulati
sunt eâ mente, ut, quamvis solida singulis,
acti una tamen omnibus debeatur.

rei debendi. **REI PROMITTENDI**, quorum sin-
guli

guli eandem rem eidem stipulanti in solidum promiserunt, eâ mente, ut quamvis solidam singuli, unum^u tamen omnes debeant: *u. eff.*

TIT. XVIII.

DE

STIPULATIONE SERVORUM.

Pr.

STIPULARI possunt tam LIBERI HOMINES, quam SERVI.

SERVI ex persona domini jus stipulandi habent.

S. Fin.

Est autem SERVUS vel DOMINI VIVENTIS, vel DEFUNCTI, seu Hereditatis, vel COMMUNIS duorum plurimumvè Dominorum (TTT).

(TTT) quibus tamen non aequaliter, sed secundum portiones dominicas acquirit.

TIT. XIX.

DE

DIVISIONE STIPULATIONUM.

Pr:

E z

I. Di-

Pr.

Dividuntur STIPULATIONES
in JUDICIALES, PRÆTORIAS,
CONVENTIONALES & COMMU-
NES.

§. 1.

JUDICIALES sunt duntaxat, quæ à
mero Judicis officio proficiscuntur.

§. 2.

PRÆTORIÆ, quæ à mero officio Præ-
toris proficiscuntur.

§. 3.

CONVENTIONALES, quæ ex con-
ventione utriusque partis concipiuntur.

§. 4.

COMMUNES, quæ modò Prætoris,
modò Judicis jussu & officio interponun-
tur.

TIT. XX.

DE

INUTILIBUS STIPULA-
TIONIBUS.

Tantum de STIPULATIONE U-
TILI, sequitur INUTILIS.

INUTILIS contingit vel ratione
CAUSÆ

CAUSÆ EFFICIENTIS, vel MATERIE, vel FORMÆ, vel ADJUNCTI.

§. 1. 2.

Ratione MATERIE, si res non sit in commercio, vel NATURA, ut stichus, qui jam mortuus est, vel hippocentaurus; vel LEGE, ut: Res sacræ, religiosæ, sanctæ, publicæ, liber homo. Quò etiam pertinet, si quis rem propriam, vel alium datum, facturumvè quid promiserit.

§. 4. 6. 7. 8. 9.

Ratione CAUSÆ EFFICIENTIS, si quis non sibi sed alteri stipuletur, si pater à filio, & dominus à servo vel contra stipulatus, aut contrahens mutus, surdus, furiosus, pupillus fuerit.

§. 5.

Ratione FORMÆ, si quis stipulanti congruè non respondeat.

§. 10.

Ratione ADJUNCTI, si impossibilis conditio adjecta, aut inter absentes celebrata.

E 3

TIT.

tionem
CAUSÆ

TIT. XXI.

DE
FIDEJUSSORIBUS.

II.

STIPULATIONES dividuntur in
PRINCIPALES, quæ per se subsistunt,
& propter nostram causam suscipiuntur
& ACCESSORIAS, quæ alienæ obliga-
tioni accedunt. Qvalis etiam est FIDE-
JUSSIO.

FIDEJUSSIO est stipulatio accessoria,
ubi interrogatus à Creditore stipulante
alienam obligationem (VVV) fide suâ es-
se jubet.

(VVV) Naturalem & Civilem §. 2. h. t. etiam
ex delicto. l. 8. §. 5. ff. h. t. modo aga-
tur civiliter. Nam si criminaliter a-
gitur, fidejussor intervenire nequit. arg.
l. 13. ff. ad L. Aquil. l. 22. C. de pæ-
nis.

§. 6.

Descendit hinc ACTIO EX STIPU-
LATU FIDEJUSSORIA, quâ creditores
à fidejussoribus petunt, quod in stipulatio-
nem deductum est (XXX). Vel ACTIO
MANDATI, si quid fidejussor pro Reo
solvit. (XXX)

(XXX) Contra quam fidejussor triplici beneficio se tueri potest, *Ordinis seu Excussionis, Divisionis, & Cedendarum Actionum.* Beneficium ordinis est, quò creditor non nisi excussò principali debitore suam adversus fidejussorem competentem actionem instituire potest. *Auth. presente. C. de fidejuss. Nov. 4. cap. 1. Divisionis,* per quod plures fidejussores conventi singuli non solidum, sed virilem saltem portionem solvere possunt. *Nov. 99. Cedendarum actionum,* quò fidejussoribus permittitur, ut ipsi solvere parati, à creditore cessionem omnium actionum eidem competentium petere possunt.

TIT. XXII.

DE

LITERARUM OBLIGATIONIBUS.

SEquitur contractus, qui LITERIS (XXX) constat; OBLIGATIO LITERARUM.

(XXX) Ita, ut substantiam exinde capiat obligatio. Quod enim in stipulatione operantur *Verba,* id in literarum obligatione operatur *scriptura. l. 38. ff. de O. & A.*

LITERARUM OBLIGATIO est

E 4.

con-

contractus verus, nominatus, literalis, unilateralis, stricti juris, quô quis ex Chirographo, in quo confessus est, se pecuniam à creditore accepisse, quam tamen non accepit, obligatur.

Nascitur inde **CONDICTIO EX LITERIS**, quæ est actio civilis, personalis, rei persecutoria, stricti juris, quæ datur creditori adversus debitorem ad præstandum id, quod chirographo continetur. (**ZZZ**).

(**ZZZ**) Tollitur actio hæc per *Exceptionem non numerata pecunia*, quæ intra biennium opposita onus probandi in creditorem transfert; post biennium verò aliarum exceptionum naturam retinet. *h. l.*

TIT. XXIII.

DE

OBLIGATIONIBUS EX SENSU.

REstant **CONTRACTUS CONSENSUALES**, qui ex solo constant consensu (**AAAA**).

(**AAAA**) Nam reliqui contractus præter consensum modò *rei traditionem*, modò *verba solennia*, modò *scripturam*
ad

ad sui perfectionem desiderant. Consensus itaque est omnium contractuum *forma generica*, sed est *forma specifica* contractuum consensualium.

Species habentur sequentes : EMTIO VENDITIO, LOCATIO; CONDUCTIO, EMPHYTEUSIS, SOCIETAS, MANDATUM.

Tit. XXIV.

DE
EMTIONE ET VENDI-
TIONE.

EMTIO VENDITIO est contractus verus, nominatus, consensualis, bilateralis, bonæ fidei, de re, pro datione certi pretii emtori tradenda.

Hinc duplex ACTIO, EMTI & VENDITI.

ACTIO EMTI est actio civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, emtori contra venditorem ad rei venditæ traditionem competens.

ACTIO VENDITI est, quæ venditori adversus emtorem ad pretii numerationem datur.

E 5

TIT.

TIT. XXV.

DE

LOCATIONE CONDU-
CTIONE.

LOCATIO est contractus verus, nominatus, consensualis, bilateralis, bonæ fidei, quò usus rei vel factum (BBBB) personæ pro certa mercede conceditur.

(BBBB) Facta ejusmodi vel sunt simplicia, quæ non requirunt operam & industriam, ut: servum manumittere, & huc non pertinent, vel *singulari opera expediuntur*, eaque aut *mercenaria*, & dicuntur locari solita, aut *non mercenaria*, quæ potius animò, quàm corpore expediuntur, veluti docere, & pro his merces non constituitur, sed salarium sive honorarium promittitur. Struv. Exercit. 24. th. IV.

Parit ACTIONEM LOCATI & CONDUCTI.

ACTIO LOCATI est actio civilis, personalis, rei persequutoria, bonæ fidei, quâ locator experitur adversus conductorem, ut mercedem solvat, rem finito usu restituat, & damna ipsius culpâ (CCCC) data resarciat.

(CCCC)

(CCCC) In contractibus præstantur DOLUS, CASUS & CULPA. l. 23. ff. de R. J. l. 5. §. 2. ff. Commod.

DOLUS est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. l. 1. §. 2. ff. de dolo malo.

REGULA.

DOLUS in omni contractu præstat. Nec remitti potest, nisi sit præteritus. l. 27. §. 4. ff. de pact.

CASUS est inopinatus eventus, quem nullum humanum consilium evitare potest.

REGULA.

CASUS in nullo contractu præstat. Ex-
cipitur 1. mutuum. §. 2. l. q. m. r. c. o.
2. Si ita convenerit. l. 6. C. de pign. act.
3. Si culpa casui causam dederit. d. §. 2.
qui in specie *improvisus* appellatur sic-
que *fortuito* contradistinguitur. Carpz.
pr. Cr. q. 27. n. 54.

CULPA est læsio alterius per imprudentiam facta. Strauch. dissert. 19. aph. 1.

Estque LATA, LEVIS & LEVISSIMA.

LATA CULPA est magna & supina negligentia, qua quis non intelligit id, quod omnes homines intelligunt. l. 213. ff. de V. S. l. 226. ff. eod. Et hæc dolo æquiparatur, in causis, sc. pecuniariis sive contractibus, & quoad effectum, l. 29. ff.

l. 29. ff. mand. l. 1. § 5. ff. de O. & A. non tamen in delictis l. 7. ff. ad Leg. Corn. de sicar.

LEVIS CULPA est, cum quis non adhibet eam diligentiam, quam diligens quisque pater familias rebus suis adhibere solet. Hic nota: *Quoties culpa simpliciter in jure fit mentio, hac intelligenda est §. 3. l. q. m. r. c. o. §. fin. l. de Societate.*

LEVISSIMA CULPA est, cum quis non adhibet eam diligentiam, quam diligentissimus quisque pater familias rebus suis adhibere solet. §. 2. l. q. m. r. c. o. l. 1. §. 1. ff. de O. & A. l. 18. ff. de Commod.

REGULA.

1. *In quocunque contractu versatur solius dantis utilitas, in eo solum lata culpa prestatur, v. g. in deposito.*
2. *In quocunque contractu versatur solius accipientis utilitas, in eo levisissima prestatur culpa, v. g. in mutuo com-
modato &c.*
3. *In quocunque contractu utriusque versatur utilitas, in eo lata, levis, & le-
vissima culpa prestatur, v. gr. in pi-
gnore, emtione venditione, locatione
conductione, emphyteusi, societate,
rei communione, hereditatis com-
munionem.*

ACTIO

ACTIO CONDUCTI est, quâ conductor adversus locatorem, ut usus rei præstetur, agit.

§. 3.

EMPHYTEUSIS est contractus verus, nominatus, consensualis, bilateralis, bonæ fidei, quô prædium, aliquod alteri utendum fruendum conceditur sub lege meliorationis & certâ pensione annuâ (*DDDD*).

(*DDDD*) Quæ *canon* appellatur, qui tum à pretio, tum à mercede differt. Nam *canon* in recognitionem directi domini, *pretium* pro re vendita; *merces* verò pro fructibus præstari solet.

Unde competit **ACTIO EMPHYTEUTICARIA** utrinque directa.

ACTIO EMPHYTEUTICARIA est actio civilis personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, quâ inter dominum & emphyteutam agitur ad id, quod vel ex pacto contrahentium vel ex natura contractus præstandum est.

TIT. XXVI.

DE SOCIETATE.

SOCIETAS est contractus verus, nominatus

E 7

mina-

minatus, consensualis, bilateralis b. f. de rebus inter aliquos mutuo communicandis, lucri quæstusque gratiâ.

Producit ACTIONEM PRO SOCIO, quæ ab utraqve parte est directâ.

ACTIO PRO SOCIO est actio civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, quæ datur inter socios ad lucri & damni communicationem & præstationes personales.

TIT. XXVII,

DE

MANDATO.

MANDATUM est contractus verus, nominatus, consensualis, bilateralis, bonæ fidei de negotio aliquo gratis expediendo.

Ex quo descendit ACTIO MANDATI DIRECTA & CONTRARIA,

ACTIO MANDATI DIRECTA est actio civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, quæ mandanti adversus mandatarium, ut exequatur mandatum competit.

ACTIO MANDATI CONTRARIA

man-

mandatario adversus mandantem, ad consequendum id, quod ex causa mandati abest, datur.

TIT. XXIIIX.

DE

OBLIGATIONIBUS, QUÆ
EX QVASI CONTRACTU NASCUNTUR.

Pr.

Post genera VERORUM CONTRACTUUM enumerata, subjiciuntur QVASI CONTRACTUS.

QVASI CONTRACTUS est conventio ex facto obligationem ad agendum efficacem producens.

Dividuntur QVASI CONTRACTUS in BILATERALES, quò spectat negotiorum gestio, Tutelæ administratio Communio Rerum, Hereditatis communitio, & UNILATERALES, ut: Aditio hereditatis & solutio indebiti (EEEE).

(EEEE) Præter species quasi contractuum ab Imperatore hic relatas dantur adhuc plures, veluti detentio rei, in qua alius interesse habet, litis contestatio, acceptio sine causa &c.

S. I. NE-

§. 1.

NEGOTIORUM GESTIO est quasi contractus, bilateralis bonæ fidei quò quis negotia alterius ignorantis gerendò obligatur. Inde ACTIO NEGOTIORUM GESTORUM DIRECTA ET CONTRARIA.

ACTIO NEGOTIORUM GESTORUM DIRECTA, est actio civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, quâ dominus contra gestorem, ut administrationis reddat rationem, retenta restituat, damna data resarciat, experitur.

ACTIO NEGOTIORUM GESTORUM CONTRARIA gestori adversus dominum competit, ad præstandum, quicquid eo nomine abest illi, vel abfuturum est.

§. 2.

TUTELÆ ADMINISTRATIO est quasi contractus, bilateralis bonæ fidei, quò inter tutorem & pupillum ob gestam administrationem mutua nascitur obligatio.

Parie

Parit ACTIONEM TUTELÆ DIRECTAM & CONTRARIAM.

ACTIO TUTELÆ DIRECTA est actio civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, quæ finitâ tutelâ pupillo adversus tutorem datur, ut administrationis rationem reddat, reliqua restituat, & damna, quæ culpa ejus contigerunt resarciat.

ACTIO TUTELÆ CONTRARIA est, quæ competit tutori contra pupillum ad consequendum id, quod ipsi tutelæ occasione abest,

§. 3.

COMMUNIO RERUM est quasi contractus bilateralis, bonæ fidei, quô duo pluresve sine consensu in societatem alicujus rei incidentes sibi invicem obligantur.

Ex qua ACTIO COMMUNI DIVIDUNDO.

ACTIO COMMUNI DIVIDUNDO est actio civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, quâ socii agunt ad rei communis particularis divisionem & ad præstandas præstationes personales.

§. 4. HE-

quasi
quis
obli-
IO-
ET

TO-
per-
quâ
istra-
ituat,

TO-
ersus
um,
futu-

est
fidei,
estam
oliga-

Parit

§. 4.

HEREDITATIS COMMUNIO est quasi contractus bilateralis, bonæ fidei, quâ duo pluresve ad hereditatem testamento, lege, vel edictô prætoris vocati sibi invicem obligantur.

Unde ACTIO FAMILIÆ ERISCUNDÆ.

ACTIO FAMILIÆ ERISCUNDÆ est actio civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, quæ competit coheredibus ad divisionem rerum hereditariarum & præstationes personales.

§. 5.

HEREDITATIS ADITIO est quasi contractus unilateralis, stricti juris, quô heres adeundô hereditatem obligatur legatariis ac fideicommissariis ad Legata & fideicommissa præstanda.

Hinc ACTIO EX TESTAMENTO.

ACTIO EX TESTAMENTO est actio civilis, personalis, rei persecutoria, stricti juris, quæ datur legatariis & fideicommissariis (FFFF) adversus heredem ad consequendam rerum legatarum aut fideicommissi subjectarum possessionem.

(FFFF)

(FFFF) Creditoribus verò hereditariis hæc actio non competit, cum heredem ex contractu & facto defuncti, qui obligationem cæpit, obligatum habeant. Vinn. h. l. n. 1.

§. 6.

SOLUTIO INDEBITI est quasi contractus unilateralis, stricti juris, quò quis accipiendò indebitè ex errore solutum ad reddendum obligatur.

Producit **INDEBITI CONDICTIONEM**.

CONDICTIO INDEBITI est actio civilis, personalis, rei persecutoria, stricti juris, quâ quis repetit, quod alteri indebitè per errorem solvit.

TIT. XXIX.

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ACQUIRITUR.

ADjiciuntur **OBLIGATIONIBUS** **A**EX CONTRACTU PERSONÆ, quibus **ILLÆ** acquiruntur, quod ex iis, quæ supra de **PERSONIS DOMINIUM ACQVIRENTIBUS**, dictum, explicandum.

TIT.

TIT. XXX.

QVIBUS MODIS TOLLITUR OBLIGATIO.

TOLLITUR autem OBLIGATIO vel IPSO JURE, vel OPE EXCEPTIONIS. De posteriori modo tollendi infra sub Tit. de Except., de priori in hoc titulo agitur.

IPSO JURE itaqve tollitur I. SOLUTIONE, II. ACCEPTILATIONE, III. NOVATIONE, IV. CONTRARIO CONSENSU.

Pr.

SOLUTIONE est rei debitæ naturalis præstatio.

§. I.

ACCEPTILATIO est imaginaria solutio, vel est liberatio per mutuam interrogationem, quâ utriusqve (GGGG) contingit ab eodem nexu liberatio (HHHH).

(GGGG) *Activè* in persona creditoris, *passivè* in persona debitoris. h. e. creditor *liberat*, debitor *liberatur* ab obligatione. Vinn. h. n. 1. in fin.

(HHHH) l. i. ff. h. r.

§. 2. Di-

§. 2.

Dividitur in SIMPLICEM & QVA-
LIFICATAM.

ILLA verborum obligationes solum
dissolvuntur.

HÆC autem ad alias obligationes
prius in stipulationem transfusas perti-
net.

§. 3.

NOVATIO est prioris debiti in aliam
obligationem vel civilem vel naturalem
transfusio atque translatio (IIII).

(IIII) l. 1. ff. de Novat. & Delegat.

Estque vel NOVATIO IN SPECIE
SIC DICTA, vel DELEGATIO.

NOVATIO IN SPECIE SIC DI-
CTA est, quâ manente eadem personâ sta-
tus obligationis saltem mutatur.

DELEGATIO est, quâ manente eo-
dem statu obligationis alius in locum pri-
oris debitoris substituitur (KKKK).

(KKKK) A qua differt *Cessio actionis*, quæ
est mandatum, quô actio exercenda alte-
ri ritè conceditur in hujus utilitatem.

Brunnem. *Tract. de Cessione Act. Cap.*
l. n. 6.

UTRA-

UTRAQUE in VOLUNTARIAM,
 quæ per stipulationem, & NECESSA-
 RIAM, quæ per litis contestationem con-
 ficitur, (LLL) dividi solet.

(LLL) Eckolt. *ad ff. h. t. §. 8.*

§. Fin.

CONTRARIO CONSENSU contra-
 ctus nudò consensu constantes dissolvun-
 tur (MMMM).

(MMMM) l. 35. ff. de R. J. unius enim volun-
 tas ad dissolvendam obligationem non
 valet l. 5. C. de O. et A. l. 3. C. de Rest. vend.
 nisi in societate §. 4. I. de Societate, Man-
 dato, §. 9. et 11. I. de Mandatis.

LIB. IV.

TIT. I.

DE

OBLIGATIONIBUS, QUÆ
 EX DELICTIS NASCUN-
 TUR.

Pr:

Cum sit expositum superiore libro de
 OBLIGATIONIBUS EX CON-
 TRACTU & QVASI EX CONTRA-
 CTU, sequitur ut de OBLIGATIONI-
 BUS

BUS EX DELICTO & QVASI EX DELICTO dispiciamus.

DELICTUM est factum (NNNN) turpe (incivile, illicitum), quo civilis societas læditur.

(NNNN) Hinc obligationes ex delictis omnes ex re nasci *pr. h.* & actio omnis ex maleficio descendens, ex facto esse dicitur. *l. 25. §. 1. ff. de O. & A.*

Estque vel PUBLICUM vel PRIVATUM.

De ILLO infra suo loco.

HOC est, quod in res privatorum committitur, neque legibus publicorum, Judiciorum, sed privatâ persecutione vindicatur.

Estque rursus vel ORDINARIUM, vel EXTRAORDINARIUM.

ORDINARIUM est, quod certam & à jure determinatam continet pœnam.

EXTRORDINARIUM est, quod pœnam continet arbitrariam.

UTRUMQUE in VERUM, quo dolo, & QVASI, quo culpa delinqvitur, distingvitur.

Species VERI PRIVATI DELICTI sunt:

sunt: FURTUM, RAPINA, DAMNUM,
INJURIA.

§. 1.

FURTUM est contrectatio (OOOO) fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisvè, quod lege naturali prohibitum est admittere.

(OOOO) *Metonymice* scilic. facto pro ipso jure quod in facto spectamus, posito. Aliàs enim quatenus contrectatio de ipso accipitur delicto, ad *formam* potius referri debet. Theodor. *Colleg. Crim. Cap. II. aph. I. lit. b.*

§. 3.

Dividitur I. in MANIFESTUM, quo fur in ipso facto apprehenditur, & NEC MANIFESTUM, quo fur ita apprehensus non est.

§. 4.

II. Aliud est CONCEPTUM, cum apud aliquem testibus præsentibus, furtiva res quæ sita inventa sit; Aliud OBLATUM, cum res furtiva ab aliquo tibi oblata, eaquæ apud te concepta sit; Aliud PROHIBITUM, cum aliquis furtum quærere testibus volentem prohibuerit; Aliud

Aliud NON EXHIBITUM, cum quis furtivam rem apud se quæsitam & inventam non exhibuit (PPPP).

(PPPP) Hinc actio furti Concepti, Oblati, Prohibiti, & Non Exhibiti, quæ actiones postmodum ab usu recesserunt. *h. §.*

§. 5.

Pœna FURTI MANIFESTI, QUADRUPLI est; NEC MANIFESTI, DUPLI.

§. Fin.

Nascitur ex FURTO ACTIO FURTI, quæ est civilis (QQQQ) personalis, pœnalis, arbitraria, quæ is, cuius interest in duplum vel quadruplum adversus furem experitur.

(QQQQ) Quatenus videlicet duplum persequimur. Respectu quadrupli enim actio hæc est *prætoriana*. Vinn. *ad §. 5. h. t. n. 1.*

Præter hanc actionem etiam duæ rei persecutoriæ competunt: REI VINDICATIONE & CONDICTIONE FURTIVA.

De REI VINDICATIONE infra.

CONDICTIONE FURTIVA est actio civilis, personalis (RRRR), rei persecutoria,

F

ria,

NUM,

000)
elipsius
è, quod
tere.

oro ipso
ito. A-
de ipso
otius re-
im. Cap.

M, quo
NEC
ehensus

cum a-
furtiva
BLA-
ibi ob-
Aliud
urtum,
ibuert;
Aliud

ria, stricti juris, quæ rem furto ablatam à fure ejusque hærede repetimus.

(RRRR) Dicitur *personalis*, quia immediate ex lege seu æquitate descendit, indeque ex furto venire dicitur non per modum *causæ efficientis*, sed per modum *objecti*, quod hîc est causa sine qua non, & quodammodo impulsiva, cur (extra ordinem hæc conditio sit introducta. Eckolt. *ad ff. de cond. furt. §. 2.* Hahn. *ad Wesenb. n. 7.*

Estque vel CERTI, quæ dominus, vel INCERTI, quæ non dominus experiuntur.

TIT. II.

DE

VI BONORUM RAPTORUM.

RAPINA est delictum privatum, verum, ordinarium, quod per fraudulentam & violentam (SSSS) rei alienæ mobilis lucri faciendi causa factam ablationem, committitur.

(SSSS) Sic à furto differt, quod in solâ confectione consistit. §. 1. *tit. super.*

Pœna est TRIPLUM.

Unde

Unde ACTIO VI BONORUM
RAPTORUM.

ACTIO VI BONORUM RAPTO-
RUM, est actio prætoriana, personalis, mixta
(TTTT), arbitraria, de quadruplo, rei
vi ereptæ, à raptore præstando competens.

(TTTT) Quia quadruplo ipsius rei persecutio
ineft. §. 19. I. de Act.

TIT. III.

DE

LEGE AQVILIA.

DAMNUM est delictum privatum, ve-
rum, ordinarium, quo dolo, vel culpa
(VVVV) res alicujus læduntur.

(VVVV) Etiam *levissimâ l. 44. ff. ad Leg.
Aquil. modo quis secundum naturam
objecti, ab eâ non excusetur. Struv. Ex-
ercit. 14. th. 20. Hinc præsens delictum
modo veris, si dolo; modo quasi deli-
ctis, si culpa damnum datum fuerit, an-
numeratur. Bicc. sect. IV. ver. q. cotid. a.
142. lit. H.*

De quo cavetur LEGE AQVILIA, cu-
jus TRIA erant CAPITA.

PRIMO cautum est: si quis alienum
hominem alienamque quadrupedem, quæ
pecudum numero sit, injuriâ (XXXX) oc-

F 2

ciderit,

Unde

ciderit, quanti ea res in eò annò plurimè fuerit, tantum domino dare damnetur.

(XXX) Nam si ex inevitabili necessitate, vel casu fortuitò id contigerit, nemo tenetur. §. 2. 3. seqq. h. t.

§. 12.

CAPUT SECUNDUM LEGIS AQUILLÆ in usu non est.

§. 13.

CAPITE TERTIO de omni cæterò damnò cavetur.

§. Fin.

Hinc descendit ACTIO LEGIS AQUILLÆ, quæ est actio civilis, personalis, rei persecutoria (YYY), arbitraria, de damno à damnificante resarciendò, còpetens.

(YYY) Videlicet ab initio & sui natura. Nam ex accidenti fieri potest, ut actio hæc simul pœnam contineat. Quod fit ob duplicem eventum, *internum* & *externum*. *Internus* est Inficiatio; *Externus*, si contingat rem, in quâ damnum datum est, anteriori tempore pluris, quam damni dati, fuisse. Franz, ad §. 19. 1. de Act. n. 78.

Estqve vel DIRECTA, vel UTILIS, vel IN FACTUM.

ACTIO

ACTIO LEGIS AQUILIAE DIRECTA est, quæ ex ipsis L. AQUILIAE verbis contra eum competit, qui corpore suo damnum dedit (ZZZZ).

(ZZZZ) Veluti: si quis servum alienum aut de ponte, aut de ripâ in flumen deiecerit, & is suffocatus fuerit. *h. §. fin.*

ACTIO LEGIS AQUILIAE UTILIS est, quæ non ex verbis, sed ex mente Legis & interpretatione quâdam datur contra eum, qui non quidem corpore damnum dedit, sed tamen corpus læsit (α).

(α) v. gr. Si quis hominem alienum, aut pecus ita incluserit, ut fame necaretur; aut jumentum ita vehementer egerit, ut rumperetur; aut pecus in tantum exagitaverit, ut præcipitaretur; aut si quis alieno servo persuaserit, ut in arborem ascenderet, vel in puteum descenderet, & is ascendendo vel descendendo aut mortuus, aut aliquâ parte corporis læsus fuerit. *h. l.*

ACTIO LEGIS AQUILIAE INFAC-
TUM SUBSIDIARIA est, quam Prætor, cæteris deficientibus, cum neque corpori damnum datum, neque corpus læsum est, sed alio modo damnum contigit (β), introduxit,

(β) e. gr. Si quis misericordiâ ductus, alienum servum compeditum solverit, ut fugeret.

TIT. IV.

DE

INJURIIS.

INJURIA est delictum privatum, verum, ordinarium, dolo in alterius contumeliam admissum.

Estque vel REALIS, vel VERBALIS.

REALIS factò quodam interveniente committitur.

IDQUE vel IN CORPORE (γ), vel EXTRA CORPUS (δ).

(γ) Cum manus inferuntur vel *erberando*, quod cum dolore, vel *pulsando*, quod sine dolore contingit.

(δ) Cum quis habitû, gestû vel aliô aliquô actû despiciatui ducitur. Ludvv. ad §. 1. h.

t. n. 1. 2.

VERBALIS fit vel VERBIS LINGVA NUNCUPATIS, vel IN SCRIPTURAM redactis.

VERBIS IN SCRIPTURAM REDACTIS injuria fit aut simpliciter saltem CONTUMELIÆ causa, & INJURIA SCRIPTA, aut insuper ad ALTERIUS INFA-

INFAMIAM, & in specie FAMOSUS LIBELLUS appellatur.

Oritur ex hoc delicto ACTIO INJURIARUM, quæ est actio civilis (ϵ), personalis, arbitraria, de injuriâ illatâ vindicandâ competens.

(ϵ) Quatenus verò æstimationem continet, est prætoria §. 7. *h. t.*

Estque vel CIVILIS, vel CRIMINALIS;

HÆC est, quâ poenam Reipublicæ debitam vindicamus.

ILLA dicitur, quâ privatum interesse persequimur.

Estque rursus vel ÆSTIMATORIA vel RECANTATORIA (ζ).

(ζ) Vid. Dn. Schvwendend. *tr. de Act. Cap. III. membr. 28. sect. 2. & 3.*

ACTIO INJURIARUM ÆSTIMATORIA est actio prætoria, personalis, arbitraria, quâ æstimationem injuriæ ab injuriante exsolvendam persequimur.

ACTIO INJURIARUM RECANTATORIA, est actio civilis, personalis, arbitraria de recantatione verborum inju-

rioforum ab injuriante faciendâ compe-
tens.

TIT. V.

DE

OBLIGATIONIBUS, QUÆ
QUASI EX DELICTO NASCUN-
TUR.

Sic fuerunt OBLIGATIONES
Sex VERIS, sequuntur ex QUASI
DELICTIS descendentes?

QUASI DELICTUM est, quo facto
per se licito, sed malè applicato quis per
consequentiam læditur.

Species sunt: IMPERITIA MALE
JUDICANTIS. 2. DEJECTIO vel EF-
FUSIO EX COENACULO FACTA,
3. POSITIO vel SUSPENSIO EJUS,
QVOD SI CECIDERIT NOCERE
POTEST, & 4. DAMNUM IN NAVI,
CAUPONA vel STABULO DATUM.

Ex quibus omnibus una ACTIO IN
FACTUM competit.

TIT. VI.

DE

ACTIONIBUS.

Pr. A-

Pr:

ACTIO nihil aliud est, quàm Jus persequendi in iudicio quod sibi debetur.

§. I.

Dividitur variè, I. (à causa efficiente) in
REALEM & PERSONALEM.

ACTIO PERSONALIS (n) est, quàm cum eò agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid vel dandum, & semper adversus eundem locum habet (9).

(n) Quæ *Condictio* appellatur. §. 15. h. r.

(9) Notæ personalis actionis sunt, 1. Quod ex obligatione descendunt. 2. Quod adversus eundem competant. l. 25. pr. ff. de O. & A. Hinc Regula: Omnis Actio ex obligatione descendens est personalis.

ACTIO REALIS (i) est, per quam rem nostram, quæ ab aliò possidetur, petimus, & semper adversus eum est, qui rem possidet (x).

(i) Quæ & *Vindicatio* dicitur d. §. 15. h. r.

(x) Notæ realis actionis sunt: 1. quod ex jure in re descendant, & quod 2. adversus quemcunqve possidentem competant. d. l. 25. pr. ff. de O. & A. Hinc Regula:

F 5

Omnis

Omnis actio ex jure in re descendens est realis.

ACTIO REALIS vel est **RERUM CORPORALIUM**, ut **REI VINDICATIO**, vel **RERUM INCORPORALIUM**, ut **ACTIO CONFESSORIA & NEGATORIA**.

REI VINDICATIO est actio civilis, realis, rei persecutoria, arbitraria, qua rem nostram ex jure dominii, à quovis possessore petimus.

Dividitur in **DIRECTAM & UTILEM**.

DIRECTA (λ) ex dominio directo, **UTILIS** ex dominio utili, vel ob aliam æquitatis rationem (μ) competit.

(λ) Actio directa multifariam in jure usurpatur, prout id accuratè, ut solet, demonstravit Dn. Schvvendendörff. *tr. de act.* Cap. II. §. 7.

(μ) Veluti pupillo, minori, ecclesiæ, quorum pecunia tutor, curator, administrator suo nomine rem emit. *l. 2 ff. quando ex facto tutor. l. 23. C. de SS. Eccles.*

§. 2.

ACTIO CONFESSORIA est Actio civilis;

civilis, realis, rei persecutoria, arbitraria, quâ quis servitutem (v) in alieno sibi competere asserit.

(v) Quod de servitute *constituta* accipiendum, non *promissa*, ob quam non nisi personali actione agendum est.

ACTIO NEGATORIA est actio civilis, realis, rei persecutoria, arbitraria, quâ servitutem à re nostrâ alteri deberi negamus.

§. 3.

II. Dividitur à actio causa efficiente remota, in **CIVILEM & PRÆTORIAM**.

ACTIO CIVILIS (ξ) est, quæ ex jure civili descendit, ut Rei vindicatio, Actio confessoria & Negatoria, de quibus antea.

(ξ) Cujus variam acceptionem, vide apud prælaudatum Dn. Schyvendingörff. *d. tr. Cap. II. §. 3.*

PRÆTORIA, quam Prætor suâ Jurisdictione comparatam habet.

EA quæ verus vel **REALIS** est, vel **PERSONALIS**.

ACTIO PRÆTORIA REALIS continet **ACTIONEM PUBLICIANAM, RESCISSORIAM, PALLIANAM,**

F 6

SER-

est Actio
civilis,

scendens

ERUM

NDICA-

PORA-

RIA &

o civilis,

qua rem

s posses-

M & U-

directo,

aliam æ-

jure usur-

t, demon-

tr. de act,

lesia, quo-

ministra-

ff. qvan-

le ss. Ec-

 SERVIANAM, & QVASI SERVIA-
 NAM.

§. 4.

ACTIO PUBLICIANA est actio prætoriam, realis, rei persecutoriam, arbitrariam, quâ rem à non domino ex justâ causâ bona fide acceptam & nondum usucaptam, ab ejus possessore petimus.

§. 5.

ACTIO RESCISSORIA, est actio prætoriam, realis rei persecutoriam, arbitrariam, ad rem verè usucaptam, tanquam non usucaptam, à possessore avocandam, competens.

§. 6.

ACTIO PAULIANA est actio prætoriam, realis, rei persecutoriam, arbitrariam, pro rebus à debitore in fraudem Creditorum alienatis revocandis, competens.

§. 7.

ACTIO SERVIANA est actio prætoriam, realis, rei persecutoriam, arbitrariam, quâ experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi ei tenentur.

ACTIO QVASI SERVIANA est a-
ctio

Actio prætoriana, realis, rei persecutoria, arbitraria, quæ creditores pignora hypothecæve (o) persequuntur.

(o) *Pignoris* appellatione ea res propriè continetur, quæ simul etiam traditur creditori; At eam, quæ sine traditione nudâ conventionem tenetur, propriè *hypothecæ* appellatione contineri dicimus.

h. S.

§. 8.

ACTIO PRÆTORIANA PERSONALIS, vel REI PERSECUTORIA est, vel POENALIS.

ACTIO PRÆTORIANA PERSONALIS REI PERSECUTORIA comprehendit I. ACTIONEM DE CONSTITUTA PECUNIA, 2. DE PECULIO & 3. IN FACTUM ex JURE JURANDO (π).

(π) Referuntur species hæ exempli loco. Nam præter eas adhuc aliæ dantur, v. gr. *quod jussu, exercitoria, institoria, tributaria, de in rem verso*, de quibus infra.

§. 9.

ACTIO DE CONSTITUTA PECUNIA, est actio prætoriana, personalis, rei persec-

F 7

perse-

VIA-

est actio
arbitraria,
sâ bona
am, ab

est actio
arbitraria,
in usuca-
petens.

io præ-
toriana,
credito-
ns.

io præ-
toriana,
quæ pi-
ei te-

est a-
ctio

persecutoria, stricti juris, quâ convenitur is, qui debitum vel suum vel alienum, citra stipulationem (ϵ) solvere promittit.

(ϵ) Nam interveniente stipulatione actione prætoriam non est opus, cum civilis ex stipulatu sufficiat.

§. 10.

ACTIO DE PECULIO infra suo loco exhibebitur. *tit. 7. §. 4.*

§. 11.

ACTIO INFACITUM EX JURE JURANDO (σ) est actio prætoriam, personalis, rei persecutoria, stricti juris, quâ quis rem, quam sibi deberi vel suam esse juravit (τ), sibi adjudicari petit.

(σ) Puta *Voluntario*. Ex *necessario* enim, quasi re satis probatâ, actio iudicati nascitur.

(τ) Aut enim *Actor jurat*, rem sibi debere, & nascitur actio ex iurejurando; *h. l. aut jurat Reus*, se nihil debere, & Exceptio iurisjurandi competit. §. 4. l. de *Excepe.*

§. 12.

ACTIO PRÆTORIAM PERSONALIS POENALIS continet: I. ACTIONEM DE ALBO CORRUPTO; 2. DE IN

IN JUS VOCANDO, 3. DE VI EXEM-
TO.

ACTIO DE ALBO CORRUPTO
est actio prætoriana, personalis, popularis
(v), pœnalis, arbitraria, quæ ad pœnam
500. aureorum competit adversus eum,
qui aliquid ex albo prætoris corrumpit.

(v) *Actiones populares* describuntur aliàs,
quod sint personales, pœnales, arbitrariæ,
quæ cuivis de populo dantur, ad jus po-
puli tuendum, & pœnam ex solvendam. l.
1. ff. de popularibus actionibus.

ACTIO DE IN JUS VOCANDO,
est actio prætoriana, personalis, pœnalis, ar-
bitraria, quæ datur adversus eos, qui paren-
tes patronosvè sine veniâ in jus vocant,
ad pœnam 50. aureorum.

ACTIO DE VI EXEMPTO est actio
prætoriana, personalis, pœnalis arbitraria,
quâ is, qui in Jus vocatum vi eximit dolo
malo, vel ut eximatur auctor est, ad id
quod interest, tenetur.

§. 13.

ACTIONIBUS REALIBUS VERIS
expositis, subjiciuntur quædam quodam-
modo

modo ANOMALÆ, quales sunt PRÆJUDICIALES.

Sunt autem PRÆJUDICIALES in quibus de Jure personarum agitur.

QVARUM TRIA hîc referuntur GENERA, pro diverso hominum statû.

PRIMUM est DE LIBERTATE, an quis sit servus an liber; SECUNDUM de INGENUITATE, an quis sit libertus vel ingenuus; TERTIUM de PARTU AGNOSCENDO, quâ quæritur, an quis filius sit, nec ne (Φ).

(Φ) Prima est Civilis, reliquæ duæ prætorix, *h. l.*
§. 16.

III. ACTIO ab Objecto dividitur, vel respectû QUANTITATIS vel respectu QUALITATIS.

Respectu QUALITATIS, quod nempe aliæ actiones sint REI PERSECUTORIÆ, aliæ POENALES, aliæ MIXTÆ.

§. 17.

REI PERSECUTORIÆ sunt, quibus persequimur quod ex patrimonio nobis abest (χ).

(χ) *l. 35. ff. de O & A.* Hîc pertinent omnes actiones reales, nec non personales.

les ex contractibus descendentes, exceptâ actione depositi miserabilis, h.l. Dantur etiam ex delictis rei persecutoria, v. gr. actio rerum amotarum, quod metus causa, &c.

§. 18.

POENALES sunt, quibus persequimur id, quod ex patrimonio non abest (ψ).

(ψ) *d. l. 35. ff. de O. & A. quo spectat actio furti.*

§. 19.

MIXTÆ sunt, quibus partim rem, partim poenam persequimur (ω).

(ω) *Veluti; actio si bonorum raptorum, actio L. Aquilia, ex testamento pro legato ad pias causas relicto, h.l.*

§. 20.

MIXTAM CAUSAM habere videntur (αα) ACTIO FAMILIÆ ERCI-
SCUNDÆ, COMMUNI DIVIDUN-
DO, FINIUM REGUNDORUM.

(αα) *Sic respectû causæ efficientis, cum videantur partim ex jure in re, partim ex obligatione descendere; revera tamen tales non sunt, cum propriè loquendo sint personales, licet de effectu realium non nihil participant.*

De

De illis duabus supra loco convenienti actum est.

ACTIO FINIUM REGUNDORUM est, actio civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, quâ inter eos agitur, qui confines agros habent.

§. 21.

Respectu QUANTITATIS aliæ actiones in SIMPLUM, aliæ in DUPLUM, aliæ in TRIPLUM, aliæ in QUADRUPLUM sunt conceptæ (ββ).

(66) Ultra quadruplum verò nulla actio extenditur, sc. *in actione proprie pænali*, alioquin id quod interest sæpè longissimo intervallo illud excedere potest. Idem etiam de pænâ conventionali dicendum. Ludvv. h. l. n. 2. 3. seqq.

§. 22.

IN SIMPLUM, veluti si agatur ex stipulatione, mutui datione, emto vendito, locato conducto, mandato &c. de quibus in antecedentibus.

§. 23.

IN DUPLUM, veluti: Actio furti nec manifesti, damni injuriæ ex L. Aquilia, ex
testa

testamento ratione legati piis locis relictis,
de quibus supra, & actio servi corrupti.

ACTIO SERVI CORRUPTI, est actio prætoriana, personalis, mixta, arbitraria, quâ in duplum agitur adversus eum, qui servum vel ancillam alterius dolo malo persuadendo corrumpit, ut deterior fieret.

§. 24.

IN TRIPLUM ($\gamma\gamma$), ut: **CONDICTIO EX LEGE** ($\delta\delta$), quæ datur reo convento adversus actorem, qui libello suo majorem verâ æstimatione quantitatem inferunt, ut ex hac causâ viatores ampliore summam sportularum exigere.

($\gamma\gamma$) Hoc ita *noſo jure* obtinet. Nam olim plus petens causa cadebat, h. e. rem amittebat, §. 33. *h. t.*

($\delta\delta$) Subest enim hic nova obligatio, per novam Justiniani constitutionem (quæ amplius non extat) introductam, in quâ tamen non erat cautum, quo genere actionis sit experiendum. *l. unic. ff. de Cond. ex lege.*

§. 25.

IN QUADRUPPLUM, ut: **ACTIO FURTI MANIFESTI**, de quâ supra, **ACTIO QUOD METUS CAUSA**, **ACTIO**

ACTIO IN FACTUM DE CALUMNIATORIBUS, CONDICTIO EX LEGE IN EXECUTORES LITIIUM.

ACTIO QVOD METUS CAUSA est actio prætoriana, in rem scripta, (εε), rei persecutoria, arbitraria, quæ datur adversus eum, qui metum intulit, vel lucrum ex alienâ malitiâ sensit, vel rem vi extortam possidet, ut res ita ablata restituatur (§§).

(εε) Notandum, actionem hanc suâ naturâ esse personalem, cum ex delicto, vi sc. compulsivâ, oriatur; diei tamen in rem scriptam eò, quod ad exemplum actionum realium contra quoscunqve possessores datur. l. 14. §. 5. ff. Quod metûs causa.

(§§) Ab initio sc. & naturâ suâ; propter contumaciam enim rem non restituentis, actio hæc in quadruplum crescit, d. l. 14. §. 3. d. 1. cui postea rei persecutio inest. d. l.

ACTIO IN FACTUM DE CALUMNIATORIBUS est actio prætoriana, personalis, mixta, arbitraria, quæ adversus eum, qui ab aliô, ut alterum in judiciô calumniosè vexaret, vel à reô, ne si ita vexaret, pecu-

pecuniam accepit, in quadruplum (nn) competit.

(nn) Cui proinde res accepta inest. *l. 5. §. 1. ff. de Calumn.*

CONDICTIO EX LEGE IN EXECUTORES LITIIUM est, quâ in quadruplum ejus agitur, quod injustè à litigantibus extorserunt.

§. 26. seq.

ACTIONES IN DUPLUM & QUADRUPLUM, vel sunt tales EX SE, veluti actio servi corrupti, furti manifesti, & nec manifesti; vel EX ACCIDENTI, ut: Actio Leg. Aquiliae, ex testamento pro legatis piis locis relictis, quod metûs causa, &c.

§. 28.

IV. ACTIONES (à formâ) dividuntur in BONÆ FIDEI, STRICTI JURIS, & ARBITRARIAS.

BONÆ FIDEI Actiones sunt, in quibus libera potestas judici committitur, ex æqvô & bonô æstimandi, quid actori præstari debeat (§§).

(§§) Nota regulam: Omnis actio personalis ex contractû vel quasi bilaterali descendens,

IMNIA-
LEGE

AUSA

(EE), rei
r adver-
crum ex
tortam,
ur (§§).

â natu-
ictio, vi sc.
in rem
um actio-
ve posses-
d metûs

propter
estituen-
escit, d. l.
ersecutio

CALU-
ria, per-
ersus e-
iô calu-
vexaret,
pecu-

dens, est bonæ fidei. e. gr. *Actio Commodati, depositi, pignoratitia, emti venditi, locati conducti, emphyteuticaria, pro socio, mandati, negotiorum gestorum, tutela, communi dividundo, familia erciscunde, finium regundorum, præscriptis verbis.*

Inter BONÆ FIDEI ACTIONES connumerantur HEREDITATIS PETITIO, & ACTIO REI UXORIÆ (ii) IN ACTIONEM EX STIPULATU TRANSFUSA.

(ii) In *utrâq;* aliquid speciale occurrit, quod *illa* sit in rem concepta, *hæc* autem stricti juris. Ratio illius est, quia præstationes personales continet l. 25. §. *pen. ff. de heredit. petit.* hujus verò, quia antea naturam bonæ fidei habebat. §. *seq.*

HEREDITATIS PETITIO est actio civilis, realis (xx), rei persecutoria, bonæ fidei, quâ hæres hereditatem ab eò, qui pro herede vel possessore possidet, sibi restitui petit.

(xx) Dicitur etiam *mixta*, in l. 7. C. d. l. non ratione *Causæ efficientis*, sed *Objecti & Finis*.

ACTIO REI UXORIÆ IN ACTIONEM EX STIPULATU TRANSFUSA est

SA est actio civilis, personalis, rei persecu-
toria, bonæ fidei, quâ mulier aut parens e-
jus soluto matrimonio dotem repetit.

§. 30.

STRICTI JURIS ACTIONES sunt,
in quibus Judex conventioni partium ita
est adstrictus, ut eam judicando excedere
nequeat (λλ).

(λλ) Nota regulam: Omnis actio persona-
lis ex contractu vel quasi unilaterali, in
quô certum persequimur, descendens
est stricti juris, e. gr. *Actio mutui, ex
stipulatû, condictio ex literis, ex te-
stamento, condictio indebiti.* No-
tanter dictû: in quo certum persequi-
mur; Nam si incertum, actio est arbi-
traria. Hinc fieri potest, ut una ea-
demque actio modo stricti juris, modo
arbitraria habeatur, quatenus scil. vel
certum vel incertum eâ petimus. *Bic-
cius Sect. V. rer. quotid. n. 23. seqq.*

§. 31.

ACTIONES ARBITRARIÆ sunt,
quæ ex arbitriô (μμ) Judicis pendent, in
quibus nisi arbitrio Judicis is, cum quo a-
gitur, satisfaciat, debet condemnari (vv).

(μμ) *Speciali puta. Generale enim ad o-
mnes actiones pertinet. Dn. Schvven-
dendorff.*

dendörff. *ad Eckolt. Tit. Fin. Reg. §. 2.*
Verb. diff. Bach. in fin.

(vii) Nota regulam: Omnis actio realis; omnis personalis, ex contractu vel quasi, in quo certum persequimur; & omnis actio ex delicto vel quasi descendens est arbitraria. e. gr. *Rei vindicatio, Actio confessoria & negatoria, Publiciana, Rescissoria, Pauliana, Serviana & quasi Serviana, Actio ex stipulatû, Condictio certi ex literis, Actio ex testamento, furti, Vi bonorum raptorum, L. Aquilia, Injuriarum, In factum ex quasi maleficiis descendens.*

Inter alias ACTIONES ARBITRARIAS antea traditas, refert etiam Imperator ACTIONEM DOLI, DE EO QVOD CERTO LOCO, AD EXHIBENDUM.

ACTIO DOLI est actio prætoriam, personalis, rei persecutoria, arbitraria, quæ datur adversus decipientem dolo malo, in id quod interest, se deceptum non esse.

ACTIO DE EO, QVOD CERTO LOCO est actio civilis, personalis, rei persecutoria, arbitraria, quâ id, quod certo loco strictâ actione dari debuit, alio loco
 peti

peti potest, factâ loci ejus commemoratione, quæ peti debuit.

ACTIO AD EXHIBENDUM est actio personalis, civilis, rei persecutoria, stricti juris, quâ is cujus interest, petit, ut res exhibeatur, ejusque videndæ & apprehendendæ copia fiat.

§. 36.

V. Dividuntur **ACTIONES** in **EAS**, quibus **SOLIDUM**, & quibus **MINUS SOLIDO** persequimur.

§. 37 38 seqq.

MINUS SOLIDO consequimur in actione de **Peculiô**, ob beneficium competentia, nec non propter oppositam compensationem, & cessionem bonorum.

TIT. VII.

QVOD CUM EO, QUI IN ALIENA POTESTATE EST, NEGOTIUM GESTUM ESSE DICITUR.

ACTIONES verò competunt vel **IMMEDIATE** ex **FACTO** **NOSTRO**, quod ex superioribus planum, vel

G

vel

vel **MEDIATE** ex **FACTO** **ALTERIUS** (ξξ).

(ξξ) Prænotandum, quòd omnes actiones hîc relatæ 1. sînt prætorîæ, 2. personales ex contractu, 3. adjectitiæ, principalibus actionibus accedentes. Sic dicitur *actio mutui, quod jussu, emt de peculio, locati exercitoria, institoria* &c. Seqvuntur ergo principalium naturam. Hinc si principalis est bonæ fidei, stricti juris, vel arbitraria, adjectitia quoqve ejus conditionis esse censetur.

FACTUM ALTERIUS aut est **HOMINUM**, aut **ANIMANTIUM**.

HOMINUM FACTA sînt **CONTRACTUS** & **DELICTA**.

EX CONTRACTIBUS ALIORUM HOMINUM veniunt: **ACTIO QVOD JUSSU**, **EXERCITORIA**, **INSTITORIA**, **DE PECULIO**, **DE IN REM VERSO**.

§. I.

ACTIO QVOD JUSSU, est actio prætorîa personalis, rei persecutoria, quæ datur in solidum adversus patrem vel dominum, ex quovis contractu filii vel servi, ejus jussu (oo) celebrato.

(oo) Qvii

(oo) Qui alias *consensus specialis* vocatur.

§. 2.

ACTIO EXERCITORIA, est actio prætoriana, personalis, rei persecutoria, quæ ex contractu à magistrò navis secundum modum præpositionis gestò, exercitor navis convenitur.

ACTIO INSTITORIA, est actio prætoriana, personalis, rei persecutoria, quæ datur adversus eum, qui institorem tabernæ, aut alii negotiationi præposuit, de eò, quod cum institore ejus rei gratiâ contractum fuit (ww).

(ww) In his duabus actionibus *generalis* est præponentis *consensus*, ipso præpositionis facto declaratus.

§. 3.

ACTIO TRIBUTORIA est actio prætoriana, personalis, rei persecutoria, quæ datur in dominum seu patrem, quo sciente servus vel filiusfamilias in peculiari merce est negotiatus, ut creditoribus, quibus nihil, vel minus, quam oportet de istâ peculiari merce tributum, id quod singulis pro ratâ debetur, præstetur.

§. 4.

ACTIO DE PECULIO est actio

G 2

præ-

(oo) Qvii

prætoriana, personalis, rei persecutoria, quæ ex contractû servi vel filii competit adversus dominum vel patrem, quatenus vires peculii patiuntur.

ACTIO DE IN REM VERSO est actio prætoriana, personalis, rei persecutoria, ex contractû filii vel servi, adversus dominum vel patrem, quatenus in rem eorum versum est, competens.

§. 5.

Concurrunt (§§) autem prædictæ ACTIONES, sed ita, ut una electâ, ad alteram non detur regressus.

(§§) *Electivæ* puta. Observandum hîc, *Concursum actionum* esse vel *electivum*, vel *cumulativum*, vel *successivum*. *Electivus* est, ubi unâ actione in iudicium deductâ, cæteræ consumuntur. Regula: *Actiones ex eadem causa descendentes, & idem objectum persequentes, electivæ concurrunt.* *Cumulativus* est, cum omnes actiones concurrentes cum effectu intentari queunt. Regula: *Actiones ex diversâ causâ descendentes, & vel ad idem vel diversum objectum tendentes, cumulativæ concurrunt.* *Successivus* est, quo ita electio actionum
com-

competit, ut quod per unam non obtinuerimus, per alteram consequi possimus. Regula: *Actiones, quarum una altera pingvior, concurrentes, non solum electione, sed rei consecutione tolluntur.*

§. 6.

EÆDEM ACTIONES tùm ex **FILIORUM**, tùm ex **SERVORUM** personis competunt.

Datur tamen aliquid **SPECIALE & PROPRIUM** in **FILIIFAMILIAS**, quod non, ut servus dominum, ita is pecuniam accipiendo patrem obligare possit, dum mutuum illud per **SENATUSCONSULTUM MACEDONIANUM** inefficax redditur.

§. 7.

Prohibuit ergò **SENATUSCONSULTUM MACEDONIANUM** mutuas pecunias dari, qui in potestate parentis sunt.

Hæc de **ACTIONIBUS** ex **CONTRACTIBUS ALIORUM HOMINUM** pervenientibus, sequuntur, quæ ex **ALIORUM DELICTIS** oriuntur.

EX DELICTIS ALIORUM nascuntur ACTIONES NOXALES (σσ).

(σσ) De his prænotandum, quòd omnes sint
1. *adjectitiæ*. Sic dicitur actio noxalis furti, vi bonorum raptorum, L. Aquiliæ, injuriarum. 2. *Arbitraria*, quia omnes ex delicto descendunt.

TIT. VIII.

DE
NOXALIBUS ACTIONIBUS.

ACTIONES NOXALES sunt actiones personales, arbitrariæ, quæ ex delictis servorum privatis (ττ) dantur adversus Dominos, ut servum vel noxæ dedant, vel damni æstimationem præstent.

(ττ) Nam ex *delictis publicis* ipsi servi accusantur. l. 12. §. *fin. ff. de accusa. l. 2. C. eod.*

Hactenus FACTUM HOMINUM ALIORUM, sequitur FACTUM ANIMANTIUM.

EX FACTO ANIMANTIUM, quo damnum datum, duplex prodita est actio

ctio, ACTIO DE PAUPERIE, & ÆDILITIA.

TIT. IX.

SI QVADRUPES PAUPERIEM FECISSE DICATUR.

Pr:

ACTIO DE PAUPERIE (vv) est actio civilis, personalis, rei persecutoria, arbitraria, quâ ob damnum à quadrupede contra naturam generis spontè commotô, illatum, convenitur Dominus istius animalis, ut aut animal, quod nocuit, dedat, aut æstimationem noxæ solvat.

(vv) *Pauperies* est damnum sine injuriâ facientis datum. Nec enim potest animal *injuriam* fecisse dici, quod sensu caret. *h. pr.*

§. I.

ACTIO ÆDILITIA est actio prætoriana, personalis, pœnalis, arbitraria, quæ adversus eum, qui canem, aprum &c. in itinere publicô habuit, competit, ut si liber homo ex eâ re perierit, CC. solidi, si nocitum sit, quantum æquum Judici videbitur,

G 4

in cæ-

nascun-
(σ).

mnes sint
tio noxa-
n, L. A-
bitraria,
adunt.

IO-

nt actio-
væ ex de-
ur adver-
e dedant,
t.

servi accu-
sa.. l. 2. C.

MINUM
M ANI-

TIUM,
dita est a-
ctio

in cæteris rebus verò duplum damni datū præstetur.

Seqvuntur DUO actionum ADJUNCTA; alterum DE PERSONIS, PER QVAS AGERE POSSUMUS, alterum DE SATISDATIONIBUS tractat.

TIT. X.

DE

IIS, PER QVOS AGERE
POSSUMUS.

AGERE possumus per PROCURATORES, TUTORES, CURATORES.

PROCURATOR est, qui negotia aliena mandato Domini administrat. (φφ).

(φφ) A quo differt *Defensor*, qui sine mandato reum in iudicio defendit. *l. un. C. de satisdat. l. 76. ff. de procurat.*

De TUTORIBUS & CURATORIBUS jam supra fuit actum.

Quia verò DEFENSOR in alienâ alienâ re sine SATISDATIONE intelligitur, ideo adjicitur.

TIT.

TIT. XI.

DE

SATISDATIONIBUS.

SATISDATIONES requiruntur in Judiciis REALIBUS & PERSONALIBUS, à parte ACTORIS & REI, eorumque PROCURATORIBUS.

Hæc de ACTIONUM CONSENTANEIS, subjiciuntur DISSENTANEA, seu MODI, quibus Actiones pereunt & finiuntur.

TIT. XII.

DE

PERPETUIS ET TEMPORALIBUS ACTIONIBUS.

FINIUNTUR vel IPSO JURE (immediatè) vel ALLEGATIONE HOMINIS (mediatè).

IPSO JURE tolluntur TEMPORE & MORTE.

Ratione TEMPORIS quædam ACTIONES sunt TEMPORALES (prætoriae) quæ spatio unius anni (xx), quædam

dam PERPETUÆ (ΨΨ), (civiles), quæ longiori tempore finiuntur (ωω).

(XX) Distingvendum, ut *actiones prætoria pœnales* omninò sint *temporales*; *Rei persecutoria* verò ita demum, si rescindunt, quod *jure civili ratum est. l. 35. ff. de O. & A.* Nam si secundum *Jus civile* dantur, *perpetua* itidem censentur. v. gr. *Actio publiciana de constitutâ pecuniâ, ex jurejurando, exercitoria, institoria, Serviana, quasi serviana, possessoria hereditatis petitio.*

(ΨΨ) *Perpetuum* hîc *abusive* dicitur, non quod nullis, sed quod certis, longioribus tamen limitibus circumscriptum est.

(ωω) *Actiones reales* longò tempore, i. e. spatio 10. vel 20. annorum. *l. 3. C. in quibus causis cessat temporis prescriptio, personales* verò longissimò tempore, i. e. spatio 30. annorum tolluntur. *l. 1. §. 1. C. de annali except.* Exceptâ *actione hypothecariâ*, quæ siquidem competit *adversus ipsum debitorem*, ad 40. annos; *si contra tertium possessorem*, qui est *bonæ fidei*, ad 10. vel 20. annos; qui verò *malæ fidei*, ad 30. annos durat. *l. 1. & 2. C. si adversus Cred. prescript. l. 7. pr. C. de annali Except.*

§. 1. Ra-

§. I.

Ratione MORTIS aliæ sunt TRANS-
MISSIBILES (aaa), aliæ NON TRANS-
MISSIBILES (bbb).

(aaa) Quales sunt omnes actiones reales, i-
tem personales ex contractibus vel
quasi descendentes; nisi actio ex con-
tractu fiat pœnalis, veluti in depositô mi-
serabili, l. 1. §. 1. l. 18. ff. depos. & actio-
ne ex testamento §. 19. & 26. l. de act.

(bbb) Quo pertinent omnes actiones ex de-
lictis vel quasi provenientes, sub hâc
tamen differentiâ, quod quæ vindictam
persequuntur, nullo modo, nec activè
nec passivè, cætera verò licet non passi-
vè, activè tamen transmittantur. Ex-
cipe; si lis cum defunctô fuerit conte-
stata, vel aliquid ex delictô ad hæredem
pervenerit. l. un. C. ex delict. def.

ALLEGATIO HOMINIS vel est
PRIMA, hinc EXCEPTIO; vel ULTE-
RIOR, inde REPLICATIO.

TIT. XIII.

DE

EXCEPTIONIBUS.

EXCEPTIO est Jus excludendi id,
quod in intentionem condemnatio-
nemve deductum est.

G 6

§. 1. 2.

§. 1. Ra-

§. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Exempla sunt: EXCEPTIO metûs, doli, in factum, non numeratæ pecuniæ, pacti de non petendo, jurisjurandi, rei judicatæ.

§. 7.

Dividuntur (à causa efficiente) I. in CIVILES & PRÆTORIAS.

§. 8.

II. (Ab effectû) in PEREMPTORIAS (perpetuas) (γγγ), & DILATORIAS (temporales).

(γγγ) Perpetua dicuntur non à tempore proponendi, quod semper possint proponi, sed à tempore, quo propositarum effectus durat. Vinn. ad §. 9. h. n. 1.

§. 9.

PEREMPTORIÆ sunt, quæ semper agentibus obstant, & semper rem, de quâ agitur, perimunt, ut: EXCEPTIO metûs, pacti conventi perpetui, doli mali.

§. 10. Fin.

DILATORIÆ sunt, quæ ad tempus nocent, seu temporis dilationem tribuunt.

Et vel CAUSAM PRINCIPALEM

COR-

concernunt, ut: **EXCEPTIO** pacti conventi temporalis, ordinis, cedendarum actionum, competentiae, moratoria &c. vel **PROCESSUM** seu constitutionem Iudicii, ut: **EXCEPTIO** procuratoria, feriarum, loci non tuti, &c.

TIT. XIV.

DE

REPLICATIONIBUS.

ALLEGATIO HOMINIS ULTERIOR dicitur **REPLICATIO**, quæ nihil aliud est, quàm secunda actoris allegatio, ad firmandam actionem suam, adversus exceptionem à reo oppositam.

§. 1. 2. 3.

Contra **REPLICATIONEM** datur reo **DUPLICATIO**; & rursus contra **DUPLICATIONEM** actori **TRIPPLICATIO**, & sic deinceps.

Sic fuere **ACTIONES ORDINARIÆ**, sequuntur **EXTRAORDINARIÆ**, puta **INTERDICTA**.

TIT. XV.

DE

INTERDICTIS.

G 7

Pr. IN-

Pr:

INTERDICTA JURE VETERI erant formæ & conceptiones verborum, quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. HODIE sunt ACTIONES EXTRAORDINARIÆ, quæ de possessione vel quasi maximè competunt.

§. 1.

Dividuntur variè I. (à formâ) in PROHIBITORIA, RESTITUTORIA, & EXHIBITORIA.

PROHIBITORIA sunt, quibus Prætor vetat aliquid fieri. Hûc pertinet Interdictum: *Ne vis fiat ei, qui in bonorum possessionem missus est; de mortuo inferendo; ne quid in locô sacrô; ne quid in locô publicô.*

RESTITUTORIA sunt, quibus Prætor restitui aliquid jubet, v. gr. *Interdictum quorum bonorum, & Salvianum.*

EXHIBITORIA sunt, per quæ jubet exhiberi, ut: *Interdictum de libero homine exhibendô; de libertô exhibendô; de liberis exhibendis.*

§. 2.

Dividuntur II. (à fine) quod quædam
ADIPI-

ADIPISCENDÆ, quædam RETINENDÆ, quædam RECUPERANDÆ possessionis gratiâ sint comparatæ.

§. 3.

INTERDICTA ADIPISCENDÆ sunt, quibus possessionem earum rerum, quam nunquam habuimus, primum adipisci conamur, v. gr. Interdictum *quorum bonorum, & Salvianum.*

§. 4.

RETINENDÆ possessionis gratiâ ea interdicta comparata dicuntur, per quæ eam possessionem, quam jam habemus, retinere volumus, v. gr. Interdictum *Uti possidetis & Utrubi.*

§. 6.

INTERDICTA RECUPERANDÆ sunt, quibus possessionem earum rerum, quam amisimus, recuperare volumus, v. gr. Interdictum *Unde vi.*

§. 7.

III. (A subjectô) dispescuntur in SIMPLICIA & DUPLICIA.

SIMPLICIA sunt, in quibus alter Actor, alter Reus est, qualia sunt; *omnia restitutoria, aut exhibitoria.* DU-

erant
n, qui-
aut fi-
TIO-
quæ de
petunt.

PRO-
RIA, &

Prætor
Interdi-
um pos-
erendo;
locô pu-

us Præ-
Interdi-
num.

væ jubet
ro homi-
dô; de li-

quædam
ADIPI-

DUPLICIA vocantur, in quibus par-
utriusque Litigatoris conditio est, nec
quisquam præcipue Reus, vel Actor intel-
ligitur, sed unusquisque tam Rei, quam A-
ctoris partes sustinet.

Cognitâ ACTIONUM naturâ, viden-
dum denique de PERSONIS, quæ actio-
nes in iudicio exercent.

TIT. XVI.

DE

POENA TEMERE LITI-
GANTIUM.

PERSONÆ Judicium PRINCIPALES
(ddd) sunt: ACTOR, REUS, & JU-
DEX.

(ddd) *Minus principales accedunt vel Ju-
dici, v. gr. Assessores, Apparitores; vel
litigantibus, ut: Advocati, Procura-
tores, Testes, &c.*

ACTOR est, qui actionem intendit, &
ab altero aliquid petit (ees).

(ees) *l. 62. ff. de iud. qui ad agendum cogi
nequit, l. un. C. ut nemo inuitus age-
re. nisi agatur ex L. diffamari C. de
ingen. manum.*

REUS est (sss) cum quo agitur.

(sss) *Qui*

(???) Qvi etiam *fugiens* dicitur. l. 13. §. 2.
 & 3. C. de *Judiciis*.

UTRIQUE cavendum hoc omninò
 est: NE TEMERE AD LITIGANDUM
 profiliant; aliàs LITIGATORES TE-
 MERARII coërcentur JURAMENTO
 CALUMNIÆ, POENA PECUNIARIA,
 & INFAMIA.

§. I.

JURAMENTUM CALUMNIÆ est,
 quo litigantes eorumqve Advocati, se cau-
 sam bona fide proposuisse, & profeqvi
 velle, promittunt.

Dividitur in GENERALE, quod semel
 tantùm & ab initiò; & SPECIALE, quod
 in singulis Judicii partibus, quoties Judici
 æquum visum fuerit, præstandum (nnn).

(nnn) l. 1. 2. C. de *jurejur. propter calumn.*

POENA PECUNIARIA vel conspi-
 citur in iis actionibus, quibus lis infician-
 do crescit (999), condemnationem in
 damnum & expensas Litis causa factas,
 continet.

(999) Veluti in *Actione L. Aquilia*, ex te-
 stamento pro legatis ad pias causas,
 &c.

§. 2. IN-

§. 2.

INFAMIA est macula ex illicito & turpi factō contracta, propter quam alicujus existimatio apud alios læditur.

Estq̄ve vel **JURIS** (iii), quæ autoritate Juris est contracta; vel **FACTI**, quæ existimationem apud honestos vel graves viros lædit.

(iii) Et hæc rursus vel *immediate*, vel *mediate* irrogatur. Dd. ad Tit. ff. de his quos *not. infam.*

TIT. XVII.

DE

OFFICIO JUDICIS.

JUDEX est, qui sententiâ suâ controversiis finem imponit.

OFFICIUM (kkk) ejus in eō consistit: **NE ALITER JUDICET, QVAM LEGIBUS, AUT CONSTITUTIONIBUS, VEL MORIBUS PRODITUM EST.**

(kkk) Idq̄ve vel est *Nobile*, quod per se stat, nec actioni institutæ inservit; vel *mercenario*, quod actionis institutæ naturam strictè sequitur.

Tandem Imperator auctarii vice particulam aliquam decerptam ex jure publico

blico, LEGES videlicet, PUBLICORUM
JUDICIORUM adjunxit.

TIT. XVIII.

DE
PUBLICIS JUDICIIS.

§. I.

PUBLICA JUDICIA sunt, quæ lege
aliquâ publicorum judiciorum, de cri-
mine notabili introducta sunt (λλλ), data
cuivis ex populo, præcipuè tamen ei, cujus
interest, potestate, crimen illud per solen-
nem accusationem persequendi.

(λλλ) Non itaq̄ve ex solâ facultate accu-
sandi, nec persecutione pænæ capita-
lis, natura publicorum judiciorum æsti-
mari debet. Theod. pr. crimin. cap. 1.
aph. 10.

§. 2.

Suntq̄ve vel CAPITALIA, vel NON
CAPITALIA.

CAPITALIA sunt, quorum poena est
MORS, vel NATURALIS, quæ animæ
amissionem affert, vel CIVILIS, quæ Li-
bertatem aut Civitatem adimit.

NON CAPITALIA sunt, ex quibus
præter

præter infamiam, pecuniaria poena, aut aliqua in corpus coërcitio est.

CRIMINA, quæ Judiciis hisce publicis vindicantur, DUODECIM hîc ab Imperatore numerantur.

§. 3.

PRIMUM & atrocissimum est LÆSÆ MAJESTATIS, quod adversus Populum Romanum, vel adversus securitatem ejus committitur,

Idque vel PERDUELLIONIS, quando quis hostili animo adversus Rempublicam & Principem quid molitus est, vel MAJESTATIS IN SPECIE, quando alio, quam Perduellionis animo in Imperatorem Populumque Romanum quid machinatur.

POENA est animæ amissio & cum omnium bonorum publicatione, memoria rei post mortem damnatur.

SECUNDUM est ex L. Julia de ADULTERIIS, quæ omnem illicitum coitum coërcet.

Species ejus frequentiores sunt : ADULTERIUM & STUPRUM.

§. 4. AD-

§. 4.

ADULTERIUM est thori conjugalis violatio.

Cujus POENA est gladius.

STUPRUM est, quod in Virginem vel Viduam honestè committitur.

PUNIUNTUR Stupratores, si honesti sunt, publicatione partis dimidiæ bonorum; sin humiles, corporis coërcitione & relegatione.

TERTIUM est ex L. CORNELIA DE SICARIIS, quæ HOMICIDIUM, VENEFICIUM & INCENDIUM punit.

§. 5.

HOMICIDII Rei censentur, non tantum, qui hominem interfecerunt, sed etiam qui hominis occidendi causa cum telô ambulârunt, & causam mortis præbuerunt.

POENA est gladius in humilioribus, in honestioribus verò deportatio ad Insulam.

DE VENEFICIO tenentur, qui vitiosis artibus venenô, & susurris magicis homines occidunt, quorum illi VENEVICI, hi MALEFICI appellantur.

Utrorumqve POENA gladius est.

INCEN-

INCENDIUM intelligitur, quod dolò non culpâ commissū, quod igne coërcetur.

§. 6.

QUARTUM est ex L. Pompeja de PARRICIDIIS, quod est propriè cædes nefaria, qualitercunq̄ve contra pietatem & Jus sangvinis in certas personas, consanguinitate vel affinitate junctas, perpetrata.

POENA est, ut parricida, insutus culeo cum cane, gallò gallinaceo, viperâ & fimiâ, atq̄ve inter eas ferales angustias comprehensus, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omnium elementorum usû vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, & terra mortuo auferatur. Scilicet, quando inter Parentes & Liberos præsens crimen committitur. Cæterùm si quis alias cognatione vel affinitate personas conjunctas necaverit, poenam L. Corneliae de sicariis sustinebit.

§. 7.

QUINTUM est ex L. Cornelia de FALSIS, quâ coërcetur omne FALSUM commissum, quod est fraudulosa veritatis immutatio.

POENA est Deportatio & bonorum publi-

publicatio in liberis : in servis verò ultimum supplicium.

§. 8.

SEXTUM est ex L. Julia de VI PUBLICA & PRIVATA. PUBLICA fit armis, quâ publica tranquillitas; PRIVATA sine armis, quâ privata securitas potius violatur.

VIS PUBLICA deportatione, PRIVATA, publicatione tertiæ partis bonorū punitur. Nisi STUPRUM vel RAPTUS concurrat, quibus poena capitalis constituta est.

§. 9.

SEPTIMUM est ex L. Julia PECULATUS, & definitur furtum publicæ aut sacræ pecuniæ non ab eò factum, cuius periculo ea fuit.

POENA est in ipsis iudicibus & ministeriis præbentibus capitalis animadversio, & bonorum publicatio, in cæteris deportatio.

OCTAVUM est ex L. Fabia de PLAGIARIIS. Est autem PLAGIUM liberi hominis aut servi alieni suppressio.

POENA interdum est mors, interdum mitior.

NO-

NONUM est ex L. Julia de AMBITU, in quam incidit, qui magistratum vel aliud munus publicum in provinciâ vel urbe corruptis pretio suffragiis mercatur.

POENA est ex SCtô C. aureorum.

DECIMUM est L. Julia REPETUNDARUM, adversus omnes eos, qui in officio publico constituti pecuniam acceperunt, ut aliquid magis aut minus ex officio suo facerent.

POENA est exilium vel etiam durior pro admitti qualitate.

UNDECIMUM est ex L. Julia de ANNONA, quâ flagellatores annonæ aut qui Societatem coierunt, ut annona carior fieret, conveniuntur.

Continet POENAM arbitrariam.

DUODECIMUM est, ex L. Julia de RESIDUIS, quod est pecuniæ publicæ retentio, quæ apud aliquem ex administratione residet, in tabb. publ. non relata.

POENA est, ut convictus, tertiâ parte amplius, quàm retinuit, Reipublicæ præstet.

S. D. G.

Ne

Ne vacuæ relinqvantur
 paginæ, coronidis loco potiores
 Sententias, in libris Institutionum
 occurrentes, adjicere pla-
 cuit.

LIB. I.

Imperatoriam Majesta-
 tem non solum armis
 decoratam, sed etiam
 legibus oportet esse armatam.
pr. præm.

Diuturni mores consensu uten-
 tium comprobati, legem imi-
 tantur. §. 9. de J. N. G. & C.

Parum est jus nosse, si personæ,
 quarum causâ constitutum
 est, ignorentur. §. fin. d. t.

Non debet calamitas Matris ei
 nocere, qui in ventre est, *pr. de*
Ingenuis.

Ne

H

Nata-

Natalibus non officit Manumis-
sio. §. *fin. d. t.*

Sæpe de facultatibus suis ampli-
us, quàm in his est, sperant
homines, §. 3. *Qui ex quib.
causis.*

Libertas inæstimabilis res est.
§. *fin. d. t.*

Adoptio naturam imitatur. §. 4.
de Adopt.

Civilis ratio civilia jura corrup-
pere potest, naturalia non u-
tiq̄ve. §. *fin. de leg. agn. tut.*

Naturali Juri conveniens est, ut
is, qui perfectæ ætatis non sit,
alterius tutelâ regatur. §. *pen.
de Attiliano tut.*

Habenti tutorem tutor dari non
potest. §. 5. *de Curat.*

Qui pro Republica ceciderunt,
in perpetuum per glori-
am vi-

am vivere intelliguntur, *pr. de Excusat. tut. l. Curat.*

Incivile est, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire. §. 13. d. t.

L I B. II.

Quod ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. §. 12. de R. D.

Extinctæ res, licet vindicari non possunt, condici tamen à furibus & quibuscunqve aliis possessoribus possunt. §. 26. d. t.

Omne, quod solo inædificatur, solo cedit. §. 29. d. t.

Omnes fructus rerum natura gratiâ hominis comparavit. §. 37. d. t.

Nihil tam conveniens est naturali

rali æqvitati, quàm volunta-
tem Domini, volentis rem su-
am in alium transferre, ratam
haberi. §. 40. d. t.

Furtum sine affectu furandi non
committitur. §. 2. de Usucap. §. 7.
de Obl. quæ ex del. nasc.

Consequeventia Nomina rebus es-
se debent. §. pen. de donat.

Per Extraneam personam nihil
acquiri potest. §. 5. per quas per-
sonas cuiq; acquiritur.

Nihil nocet, ex una domo plures
testes negotio alieno adhiberi.
§. 8. de test. ordin.

Mas & fœmina in hominum pro-
creatione simili naturæ officio
funguntur. §. 5. de Exhered. lib.

Nondum adita hereditas perso-
næ vicem sustinet, non here-
dis futuri, sed defuncti. §. 2. de
hered. Instit.

Pu-

Pupillare Testamentum pars &
 seqvela est paterni testamenti
§. 5. de pupill. subst.

Licet enim legibus soluti simus,
 attamen legibus vivimus. *§. f.*
Q. m. t. infirm.

Sui heredes vivo quoque Patre
 quodammodo domini existi-
 mantur. *§. 2. de hered. qual. Et*
different.

Semper necessitas probandi in-
 cumbit illi, qui agit. *§. 4. de le-*
gat.

Duæ causæ lucrativæ in eundem
 hominem, & eandem rem
 concurrere non possunt. *§. 6.*
d. t.

Quod proprium alicujus est, am-
 plius ejus fieri non potest. *§.*
10. d. t. §. 14. de Actionib.

Plus valet, quod in veritate est,
 quam quod in opinione. *§. 11.*
d. t.

Nomina significandorum hominum gratia sunt inventa §. 29. d. t.

Testamenta vim ex institutione heredis accipiunt. §. 34. d. t.

Nemo invitus cogitur præstare id, de quo rogatus est. §. 1. de fideic. hered.

Codicillis hereditas neque dari neque adimi potest §. 2. de Codicillis.

LIB. III.

Simplicitas legibus amica §. 3. de leg. agn. succ.

Semper generata persona gradum adjicit. §. 7. de Grad. cogn.

Quæ per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint. §. 6. de V. O.

Quæ natura sui dominio nostro exempta sunt in obligationem

nem deduci nullo modo pos-
sunt. §. 2. *de inutilib. stipul.*

Quod turpi ex causa promissum
est, non valet. §. 23. *d. t.*

Non potest esse plus in accessio-
ne, quàm in principali re. §. 5.
de fidejuss.

Plus est, statim aliquid dare; mi-
nus est, post tempus dare. *d. l.*
& §. 33. *de act.*

Consilium non est obligatorium
§. 6. *de mand.*

Consentaneum visum est, verbis
factam obligationem, aliis
verbis posse dissolvi. §. 1. *q. m. t.*
o.

LIB. IV.

Defendi uxores à viris, non vi-
ros ab uxoribus æquum
est. §. 2. *de injur.*

H 4

Ei,

Ei , qvi possidet , non est actio
prodita , per quam negat rem
actoris esse. §. 2. de act.

Curare debet Judex , ut omninò
quantum possibile ei sit , certæ
pecuniæ vel rei sententiam
ferat. §. 32. d. t.

Inhumanum est , spoliatum for-
tunis suis , in solidum damnari.
§. fin. d. t.

Inter dominum & eum , qvi in
potestate ejus est , nulla obliga-
tio nasci potest. §. pen. de Nox.
Act.

Pauperies est damnum sine in-
juria facientis datum. *pr. si qua-
drup. paup.*

Nunquam actiones pœnales de
eadem re concurrentes , alia
aliam consumit. §. fin. d. t.

Morbus , & ætas , & necessaria
peregrinatio , itemqve aliæ
multæ

multæ causæ, sæpe homini-
bus impedimento sunt, quò
minus rem suam ipsi exequi
possunt. *pr. de iis, per quos agere
possumus.*

Nemo defensor in aliena re sine
satisfactione idoneus esse cre-
ditur. §. 1. 5. *de satisfd.*

Neceffe est omnes provincias,
caput omnium nostrarum ci-
vitatum, i. e. Regiam urbem
ejusque observantiam sequi.
§. *fin. d. t.*

Sæpe accidit, ut licet ipsa perse-
cutio, quâ actor experitur, ju-
sta sit, tamen iniqva sit adver-
sum eum, cum quo agitur. *pr.
de except.*

Omniun actionum instituenda-
rum principium ab ea parte
edicti proficiscitur, quâ Præ-
tor edicit de in jus vocando

H 5

§. *fin.*

§. fin. de pœna temerè litigant.
Inprimis illud observare debet
Judex, ne aliter judicet, quàm
legibus, aut constitutionibus
aut moribus proditum est. *pr.*
de off. jud.



TITU.

TITULI
INSTITUTIONUM.

LIB. I.

De

J ustitia & jure	1
J ure naturali Gentium & Civili	2
J ure personarum	3
Ingenuis	4
Libertinis	5
Qui & quibus ex causis manumittere non licet	6
Lege Fusia Caninia tollenda	7
His qui sui vel alieni juris sunt	8
Patria Potestate	9
Nuptiis	10
Adoptionibus	11
Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur	12
Tutelis	13
Qui testamento tutores dari possint	14
Legitima agnatorum tutela	15
Capitis diminutione	16
Legitima Patronorum tutela	17
Legitima parentum tutela	18
Fiduciaria tutela	19
Attiliano tutore & eo qui ex L. Juliâ & Titia dabatur	20
Auctoritate tutorum	21
Quibus modis tutela finitur	22
Curatoribus	23
Satisfactione tutorum vel curatorum	24
Excusationibus tutorum	25
Suspectis	

TITULI

Suspectis tutoribus vel curatoribus 26

LIB. II.

DE

Rerum divisione & acquirendo ipsarum do-
minio 1

Rebus corporalibus & incorporalibus 2

Servitutibus prædiorum 3

Usufructu 4

Usu & habitatione 5

Usucapionibus & longi temporis præscriptio-
nibus 6

Donationibus 7

Quibus alienare licet vel non 8

Per quas personas cuique acquiritur 9

Testamenti ordinandis 10

Militari testamento 11

Quibus non est permixsum facere testamentum 12

Exheredatione liberorum 13

Hereditibus instituendis 14

Vulgari substitutione 15

Pupillari substitutione 16

Quibus modis testamenta infirmentur 17

Inofficioso testamento 18

Hereditum qualitate & differentia 19

Legatis 20

Ademptione Legatorum & translatione 21

Lege Falcidia 22

Fidei commissariis hereditatibus & ad Sctum
Trebellianum 23

Singulis rebus per fideicommissum relictis 24

Codicillis 25

LIB.

INSTITUTIONUM.

LIB. III.

DE

	H ereditatibus quæ ab intestato deferuntur	1
	Legitima agnatorum successione	2
	SCto Tertulliano	3
	SCto Orphitiano	4
	Successione cognatorum	5
	Gradibus cognatorum	6
	Servili cognatione	7
	Successione libertorum	8
	Affignatione libertorum	9
	Bonorum possessione	10
	Acquisitione per arrogationem	11
	Eo, cui libertatis causa bona addicuntur	12
	Successionibus sublatis, quæ fiebant per bono- rum venditiones & ex SCto Claudiano	13
	Obligationibus	14
	Quibus modis recontrahitur obligatio	15
	Verborum obligationibus	16
	Duobus reis stipulandi & promittendi	17
	Stipulatione servorum	18
	Divisione stipulationum	19
	Inutilibus stipulationibus	20
	Fidejussoribus	21
	Literarum obligationibus	22
	Obligationibus ex consensu	23
	Emtione & venditione	24
	Locatione & conductione	25
	Societate	26
	Mandato	27
	Obliga-	

LIB.

TITULI INSTITUTIONUM.

Obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur	28
Per quas personas obligatio acquiritur	29
Quibus modis tollitur obligatio	30

LIB. IV.

DE

O bligationibus, quæ ex delicto nascuntur	1
Vi bonorum raptorum	2
Lege Aquilia	3
Injuriis	4
Obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur	5
Actionibus	6
Quod cum eo, qui aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur	7
Noxalibus actionibus	8
Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur	9
Iis, per quos agere possumus	10
Satisfactionibus	11
Perpetuis & temporalibus actionibus & quæ ad heredes & in heredes transeunt	12
Exceptionibus	13
Replicationibus	14
Interdictis	15
Pœna temere litigantium	16
Officio Judicis	17
Publicis Judiciis	18

F I N I S.

1.
tractu na-
28
29
30
cuntur 1
2
3
4
nascuntur
5
6
negotium
7
8
9
10
11
& quæ ad
12
13
14
15
16
17
18

Th 362

VD 77



ULB Halle
004 769 775

3



Handwritten blue ink scribble

Handwritten blue ink 'AC'



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

